DE ARTE AESCHYLI OBSERVATIONUM IN SEPTEM CONTRA THEBAS CAPITA DUO

Rudolf Beer

DE ARTE AESCHYLI

OBSERVATIONUM IN SEPTEM CONTRA THEBAS

CAPITA DUO.

—

COMMENTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM

ORDINE UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

RUDOLFUS BEER

CAMBURGENSIS.

LIPSIAE

FORMIS EXPRESSERUNT POESCHEL & TREPTE

MDCCCLXXVII.

Plerique eorum, qui novissimis temporibus arti metricae operam dederunt, ita in ea versati sunt, ut legibus artis musicae eis, quae hodie valent, ad carmina lyrica veterum relatis prorsus fere neglegerent discrimina illa maxima, quae inter utramque artem interesse omnes periti consentiunt. Huic illos praeiudicatae opinioni addictos per se intellegitur illam disciplinam in multos eosque sat graves errores perduxisse: etenim etiamsi artem musicam nostrorum temporum eisdem prorsus legibus obnoxiam esse atque artem musicam veterum ponimus, id quod numquam concedi poterit, tamen ea semper remanet quaestio, primum quae fuerit vis non singulorum verborum solum, sed etiam universarum in carminibus lyricis enuntiationum, deinde qui fieri potuerit, ut simul cum sono chordarum tibiarumque auribus et mente perciperetur sententiae ipsius summa plerumque gravitas et difficultas, quibus rebus nostrae aetatis drama musicum, ut ita dicam, aeque praestare vix quisquam contendat.

Errorum illorum non minimus is est, quod prorsus paribus ad temporis rationem numeris composita fuisse singula carmina lyrica dicuntur. Ad congruentiam singulorum numerorum servandam vel saepius efficiendam artis metricae doctores cum in disponendis carminibus sententias ab omni iudicio abhorrentes prompserunt tum ad audacissimas coniecturas confugerunt. Atque singuli de singulis carminibus ad tam diversas inter se opiniones pervenerunt, ut cui tandem assentiri possimus, omnino ambiguum videatur, nedum de

certa quadam ratione in eo studiorum genere vel inter paucos conveniat.

Sed forsitan quaesierit quispiam, quae sit summa causa, cur fructus ex eis studiis rediens, quae novissimis ipsis temporibus a permultis tractata sunt, tam exiguus fuerit? Mihi quidem ea videtur esse, quod de veterum ipsorum arte atque ratione musica parum certi ad nos pervenit, ita ut aurium potissimum iudicio niti cogamur, quod iudicium quam lubricum sit neminem fugit. Aristoxeni opera si integra tradita essent, veri simile est futurum fuisse ut his de quaestionibus nemo hodie disputare auderet. Sed cum plane ignoremus, quid ille docuerit de *μελοποιΐᾳ*, vix quisquam pro certo affirmabit, semper secutos esse sonos musicos naturam syllabarum, in qua summam artis metricae poetarum veterum et lyricorum et scaenicorum maximeque Graecorum positam fuisse constat, semper syllabas productas sonis productis elatas esse itemque syllabas breves sonis correptis. Veri simile sane est, eam fuisse primam artis musicae legem, ut rhythmus metricus ab eo, qui cantaret, servaretur: sed utrum ea lex semper valuerit an interdum artis musicae docti eam excesserint fere in modum nostratium eorum, qui saeculis p. Chr. n. septimo decimo et duodevicesimo canticis ecclesiasticis componendis operam dabant, ea de re nisi coniectura nil augurari possumus.

Quaeritur id maxime, quemadmodum ars musica et rhythmum metricum, id est syllabarum naturam, et vocabulorum accentum et sententiarum gravitatem simul ita exprimere potuerit, ut qui audirent et versus et sonos et sententias percipere possent. Apud nos id multo facilius fieri potest maxime ob eam causam, quod vocabulorum germanicorum accentus fere semper congruens cum syllabarum productione certam viam indicat viris artis musicae studiosis, quam ingredientes faciant modos — *μέλη*, quas nos dicimus melodias —, qui non nimis aures a sermonis humani iusto sono abducant: at in Graecorum arte metrica cum saepissime

accentus et natura syllabarum inter se pugnent, una autem natura versum faciat, quaeramus oportet, ab utra parte ars musica Graecorum steterit aut utri magis faverit.[1]) Nam id vix quisquam negare poterit, utriusque rei rationem fuisse habendam arti musicae, si modo carmina intellegi, si modo ipsa placere vellet.

Cum vero certum de his quaestionibus iudicium nemo facere possit, nostrum est abstinere mentem a coniecturis, quarum nullus fructus est, consistere in verbis veterum poetarum ipsis. Atque in eis verbis legendis et relegendis eam nobis proponamus primam normam et regulam, ut aurium iudicio eandem vel fortasse maiorem habeamus fidem, quam oculorum. Nam etiamsi concedendum est, hac quoque in re veteres aliter potuisse sentire atque nos, tamen ea mihi certior videtur esse via, ad vocis humanae sonum revocare iudicium, quaerere, utrum aliquid bene sonet an minus, quam semper haerere in litteris, quae quot periculis per temporum cursum obnoxiae fuerint nemo nescit.

Ut ego equidem sentio, iusto saepius illa aurium mensura, quod esse acrius iudicium et certius, quam syllabarum numerum *Cicero* de or. III, 47, 183 dicit, despicitur, poetarum verba ita fere tractantur, ut ea sola illorum ars esse videatur curare, ne praecepta metrica laedantur, ut semper legitimo gradu incedant versus. Neque vero ea est sola poetarum ars, sed permulta alia accedunt ad orationis vim atque versuum elegantiam augendas, quae ad percipienda aures nostrae quamvis hebetiores, quam veterum, sufficiunt.

[1]) Conferas *Rossbachi et Westphalii* artis metricae Graecorum vol. II p. 23 de hoc discrimine, ubi est:

Die Griechen waren von Anfang an gewohnt, das marcato und die Tonhöhe, oder den rhythmischen Ictus und den Hochton als etwas dem Wesen nach verschiedenes von einander zu sondern. Vocalhöhe und Vocalstärke — male dicit Westphalius „Vocalstärke“ productionem vocalium — ist nun einmal nicht dasselbe, nur die deutsche Poesie hat beides zusammenfallen lassen.

In duo genera eiusmodi ornamentorum ut ita dicam versuum ego inquisivi atque quae mihi digna visa sunt, quae adnotentur, proponam.

Priore loco de homoeoteleutis[1]) agam, altero de homoeoarctis sive allitterationibus.

Illud genus poeticum, quod gentes romanae excoluere et quod apud nos hodie usitatissimum est — versus rimatos media aetas appellabat —, a sensu veterum prorsus recedere vix quisquam est qui contendat. Vel ex eo, quod saepe et poeticae et prosae orationis scriptores usitatis locutionibus coniunxerunt voces, quarum extremae syllabae congruunt, colligere licet, veteres quoque eiusmodi formulis delectari.

Similes formulas collegit *Lobeckius* in paralipomenon grammaticae graecae p. 58 et eis, quae insequuntur, ubi notantur haece:

> *τὰ μέλη καὶ μέρη*[2]), *κτήματα καὶ χρήματα, κτῆσις καὶ χρῆσις, ἤθη καὶ ἔθη, ὀνόματα καὶ ῥήματα, λόγῳ καὶ ἔργῳ.*

Quamquam vocum *λόγῳ* et *ἔργῳ* binae tantum litterae extremae congruunt, tamen hac soni aequabilitate oppositionem aliquatenus augeri mihi quidem persuasum est. Utrum vero Graeci idem senserint an non, dubitare licet. Atque etiamsi hoc concedi posset, tamen remaneret altera quaestio, num consulto eas potissimum formas elegerit scriptor ad contentionem efferendam. Qua de re certum iudicium facere non audeo.

Num discrimen sit faciendum inter formulas eas, quae stirpium ipsarum vel parvula similitudine aut syllabarum suffixarum nituntur, sicut

> *σωμάτων καὶ χρημάτων* Thuc. I, 85, 1

[1]) Vocem *ὁμοιοτέλευτος* apud Graecos magis in usu fuisse, quam *ὁμοτέλευτος* testimoniorum numero sat magno probari potest.

[2]) In eis vocabulis coniungendis cum clausula in *η* litteram facta tum maxime primae syllabae congruentia ludum efficit.

et eas, quibus voces terminatione sola similes coniunguntur ut

τιμαῖς καὶ ἀρχαῖς Plat. ap. p. 35 B,
τιμὰς καὶ ἀρχὰς καὶ δίκας Plat. rep. 8, p. 549 C,
τιμῶν καὶ ἀρχῶν Xen. Cyr. I, 2, 15,
χορηγαὶ, τριηραρχαὶ, λειτουργαὶ, Dem. contra Aphob. II, 3 p. 836,

mihi in dubio est. Nam inde, quod nos hodie in lingua germanica rimos terminationibus solis contineri non iam volumus, argumentum nullum peti potest ut probetur, ne Graecos quidem id fieri sivisse. Terminationum Graecarum certo aut eadem vis aut maior erat, quam germanicarum eius aetatis, qua Otfridus rimos composuit, quorum multi solis terminationibus grammaticis continentur.

Tamen eis, qui eiusmodi ornamentis investigandis student, maior cautio adhibenda est in prosa oratione, quam in poetarum libris pertractandis. Ut cum apud Demosthenem scriptum legimus adv. Pant. 53, p. 982:

ἀγνοῶ — φιλῶ — ἀποστερῶ — συκοφαντῶ,
pro Phorm. 47, p. 958 *ἄγεις — δεικνύεις — ἐλέγχεις — ὀνειδίζεις,*

id luculentissime apparet, oratorem illum ludi vel artificii rhetorici causa formarum similitudinem cumulasse. Sed quamquam ad vocabulorum homoeoteleutorum usum pertinere de eis locis disputationem nemo negabit, tamen vix quisquam rimos esse dicet.[1])

Verum in poetarum verbis cum vel rhythmi natura similem syllabarum cantum ut ita dicam, efficiat, facilius percipiuntur ludi illius modi, numeris metricis ipsis efferuntur, inculcantur auribus nostris.

Conferas velim locos hosce:

Aristoph. ran. v. 463 *σχῆμα καὶ λῆμα,*

---

[1]) Ex Demosthene — apud oratores enim innumerabilis exemplorum copia exstat — nonnulla exempla collegit *Sigg* in annalium phil. class. supplemento VI p. 417.

quod memini Ritschelium praeceptorem in scholis perbene vertisse *Statur und Natur.*

Aesch. Prom. v. 691 *πήματα, λύματα, δείματα.*

Nec vero aliter potest iudicari de locis, qui minus speciosam exhibent similitudinem, velut

Od. ξ, 330, τ, 299 et saepius est: *ἀμφαδὸν ἦε κρυφηδόν.*

Aesch. Sept. 213 (editionis Dindorfianae v. 230) *σφάγια καὶ χρηστήρια.*

Eo modo cum et scriptoribus et poetis placuerit occasione data verba coniungere, id quod eis, quae attuli exemplis, probatur, quibus multa alia addi possunt, nonne etiam maiorem habet probabilitatem, idem ad versus coniungendos libenter a poeta quam maxime pulchrae formae studioso esse adhibitum?

Altero loco de homoeoarctis vel allitterationibus dicturus sum. Etenim sicut voces, quae in easdem litteras exeunt, saepius in formulis locutionibusque coniunguntur, ita voces ab eisdem litteris incipientes inter se coniunctae saepius exstant, quam ut fortuito eiusmodi locutiones omnes conformatas esse credere possimus.

Sic. Soph. Phil. 482 coniunguntur *πρῷρα* et *πρύμνα*, multis locis *ἔργον καὶ ἔπος* (cf. *Lobeckii* paralip. p. 65), alia id genus.

Allitteratione simul et eadem terminatione coniunguntur *σῶμα* et *σῆμα* in Plat. Crat. p. 400 C.
Gorg. p. 493 A.

Atque fortasse etiam in locutionibus, quales apud Homerum sunt:

δίχα πάντα δέδασται Od. *ο*, 412,
παύσαντο πόνου Il. *Η*, 319,
ἐδεύετο δαιτός Il. *Α*, 468, *Η*, 320

et similibus, quae saepe numero apud illum redire solent, allitterationis analogia quaedam cerni potest.

Lingua ipsa autem eiusmodi dicendi formulis favet, quoniam partim radicum partim formationis similitudinem exhibet in rebus significandis eis, quae ut saepe oratione coniungantur natura ipsa fert. Neque quisquam eorum virorum doctorum aetatis et antiquioris et recentioris, qui in arte etymologica versati sunt, eam ἀναλογίας legem umquam plane neglexit, quamquam quot errores, praesertim ex pristina eorum studiorum tractandorum ratione fluxerint neminem potest fugere.

Neque speciosissima allitterationum exempla editores librorum Graecorum non animadvertere.

In eas res mihi videtur accuratius inquirendum esse, quam adhuc factum est, et colligendis exemplis indagandum, quem sensum veteres in usurpandis eiusmodi ornamentis secuti sint. Neque enim quisquam de certa lege, cui poetae paruerint, dicere audebit: immo longe maximus numerus exemplorum ita comparatus erit, ut vix diiudicari possit, utrum de industria et consulto ita locum conformarit poeta an sine certo consilio sensum innatum secutus sit.

Sed usum quendam atque consuetudinem investigasse poetarum haud minus intererit, quam certa praecepta, quae excedere numquam licebat: potius ipsa libertate poetae perspicienda singularis voluptas continebitur.

Verum ut ad meum campum artis carceribus circumsaeptum descendam, liceat praeceptoris optimi, cuius exsequias nuper prosecuti sumus, verba repetere (*Ritschelii* opusculorum I, p. 301):

Die griechische Tragödie offenbart ein Wohlgefallen an Symmetrie, das allmählich immer mehr und in um so vollerem Masse ans Licht getreten ist, je weiter in unseren Tagen die Kritik der Tragiker Schritt um Schritt vorgedrungen ist, früher Uebersehenes beachtend, Verstecktes hervorziehend, scheinbar Gleichgültiges betonend, Absicht nachweisend in

dem für zufällig Gehaltenen. Und wo wäre ein besonnenes Suchen nach solcher Absicht berechtigter, als eben bei dem Altmeister der Tragödie? — in innerlichster Uebereinstimmung mit dem Wesen aller altgriechischen Kunst, auch der bildenden, die einem hohen Masse von geistiger Freiheit ein eben so hohes Mass formeller Gebundenheit als Gegengewicht zu geben das Bedürfniss fühlte, und diesem Princip mit einem glücklichen Instinkt und einer Weisheit Rechnung trug, dass gerade auf der innigen Verschmelzung dieser Gegensätze die vollendete Harmonie jener Kunst zumeist beruht.

Simili modo mihi inter ipsas artis poeticae leges ad versuum formam definiendam spectantes oppositio quaedam videtur esse ea, ut quamquam primo loco semper syllabarum natura versum faciat, tamen certissimis illis legibus non laesis summa varietas adhibeatur in oratione ipsa formanda.

Qualis vero esset ea varietas, in eam quaestionem certo quodam loco inquirere, mihi proposui.

Atque unam fabulam Aeschyleam — Septem contra Thebas — ita tractavi, ut omnia exempla, quae ad propositum meum spectantia in trimetris iambicis scripta inveniantur, congererem, examinarem, numerarem, certas rationes secutus distribuerem.

Cur Aeschylum potissimum elegerim, si quis quaerat, praeceptorem ducem eiusque verba supra allata secutus sum. Quippe optimo iure praeceptor praestantissimus Aeschylum praecipue summae concinnitatis studiosum fuisse dicit. Quod studium et ex totius tragoediae dispositione cognoscitur neque abest in rebus, pusillis, siquid in poeta tam eximio pusillum dici potest. Cur de solis trimetris iambicis scripserim, exempla ex partibus lyricis deprompta raro tantum et quasi praeteriens commemoraverim, duae causae fuere: primum, quod copia materiae me inpulit, ut libellum quam maxime fieri posset artis finibus circumscriberem, deinde, quod versus illi aequo semper gradu quasi incedentes facilius ansam praebent certae rationis adhibendae in eiusmodi observationibus.

Campum lubricum ipse dixi esse disputationemque captiosiorem, quam tractaturus essem. Sed pericula spero fore ut evitem eo, quod plerumque satis habebo exemplis collatis probare quid veteribus placuerit, abstinebo a iudiciis certis ad nostrum sensum relatis. Quamquam id fortasse licet addere, observationum earum, quas posituri sumus, eandem certe esse fidem, quam earum, quae novissimis temporibus de arte veterum musica factae sunt.

Quoniam utile non videbatur in his quaestionibus magis ad universum usum poeticum spectantibus arti criticae locum dare, semper textum *Hermannianum* a Ritschelio repetitum (editionis alterius) secutus sum, etiam eis locis, quibus verba ab Hermanno constituta mihi quidem non placent. Ceterum plerumque coniecturae et Hermannianae et aliorum quam maxime fieri potest litteras vocabulorum manu scriptorum aequare student, quare fit, ut rarissime observationes nostrae correctionibus virorum doctorum perturbentur aut pervertantur. Id quod potissimum cadit in eas quaestiones, quae altero loco institutae maiorem commentationis partem conficiunt.

I.

De homoeoteleutis agitur.

Ὁμοιοτέλευτον rhetores graeci sive versuum sive enuntiationum similem exitum nominare solebant. Quorum ex libris cum satis constaret, ne eam quidem poeticae artis partem veteribus ignotam fuisse, saepius iam in eam quaestionem inquisitum est, quibus contineretur finibus rimorum — ut hoc medii aevi vocabulo uti mihi liceat — usus. Maxime apud Homerum versuum clausulae eiusdem terminationis animadversae, collectae, iudicatae sunt: plura fortasse exempla exstant apud elegiarum poetas, quoniam pares inter se partes versus pentametri facile syllaba extrema consonant vel sine ipsius poetae arte. Nam id sane nemo dum demonstravit, de industria poetas eum syllabarum concentum quaesivisse.

Ac ne ego quidem certum artificium inesse existimarim in eiusmodi concentibus vocabulorum neque eos revocaverim ad praecepta aut consuetudines poetarum, sed negaverim tantum forte oblatam similitudinem sonorum poetas sprevisse et repudiasse ad sententiae vim efferendam, ad enuntiationum concinnitatem ostentandam, denique ad splendorem orationis tragicae augendum. — Saepe rimi eis locis exstant, qui per antistrophicam responsionem pares inter se sunt. Quales ex Aeschyli fabulis collegit

Kiehlius in Mnemosynae anni CIↃIↃCCCLII p. 202 hosce: (Dindorfii numeros ed. V poetarum scaenicorum sequor.)

Aesch.	Prom.	v. 891—93	=	898—900 (?)
-	Septem	v. 778—80	=	785—87.
-	Pers.	v. 694—95	=	700—701.
-	Agam.	v. 161—62	=	169—70.
-	Choeph.	v. 327—28	=	358—59.
-	Eumen.	v. 509—10	=	518—19.

Hos si locos contuleris, singularem Aeschyli artem in eiusmodi formulis adhibendis, eximiam soni pulchritudinem admirabere, sed primum nequaquam rimis solis eam locorum praecipuam venustatem deberi tibi persuasum erit, sed enuntiationum tota compositione et formatione illam contineri.

Conferas velim Persarum versus supra laudatos:

σέβομαι μὲν προσιδέσθαι, σέβομαι δ' ἀντία λέξαι
σέθεν ἀρχαίῳ περὶ τάρβει, quibus respondent
δίεμαι μὲν χαρίσασθαι, δίεμαι δ' ἀντία φάσθαι,
λέξας δύσλεκτα φίλοισιν.

et Persarum v. 550 proximos = v. 560 proxim.

Iam in his locis enuntiationum potius, quam vocabulorum vel syllabarum congruentiam cernes, tum iudicandi de metrica responsione notam et signum in rimis posita esse haud dubie negabis. Ansam quaerendi de responsione ab eis repeti posse concedes, etiamsi sat multis locis ad metrum inter se diversissimis rimi quos nos dicimus inveniuntur.

Sed aptum erit ante omnia exponere, quam syllabarum congruentiam ego rimi nomine appellari velim vel quales syllabae rimum facere possint.

Et linguarum Romanarum et nostrae ea est natura, ut terminationes grammaticae non iam tam plenam et distinctam exhibeant formam, quam lingua graeca et latina adhuc exhibent, germanica quoque superioribus temporibus exhibebat. Eam ob causam quamquam ab usu linguarum recentium proficiscendum est in disputatione de rimo facienda, tamen aliam eius apud veteres fuisse naturam non nimis mirari debebimus. Apud nos — itemque apud gentes Romanenses

ea hodie est rimi figura, ut stirpes ipsae litteris et sonis similes inter se componantur seu terminatio accentu privata accedit — homoteleuton virile dicunt — seu non accedit — homoteleuton femininum dicimus —. Id rimorum discrimen si apud veteres servare volumus, id quod num fieri debeat vel possit ego dubitaverim, illud non inest in clausularum, sed in generum metricorum varietate.

In versu hexametro rimos femininos solos locum habere per se intellegitur.

Cf. Hom. Od. β, v. 9: 11:

αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἤγερθεν ὁμηγερέες τε γένοντο,
βῆ ῥ' ἴμεν εἰς ἀγορήν, παλάμῃ δ' ἔχε χάλκεον ἔγχος,
οὐκ οἶος, ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο.[1])

et eiusdem libri v. 74: 76: 78.
v. 142: 144.

Saepius singuli versus in binas partes rimis coniunctas discedunt, ut

Hom. Od. α, v. 266:

πάντες κ' ὠκύμοροί τε | γενοίατο πικρόγαμοί τε

eiusd. libri v. 397:

αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο | ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο

β, 83:

Τηλέμαχον μύθοισιν | ἀμείψασθαι χαλεποῖσιν.

Bene in his exemplis caesurae vis augetur sonorum similitudine in binarum partium fine redeunte.

Aeque atque in hexametris rem sese habere in metri trochaici versibus acatalectis ante oculos est: versus trochaicos catalecticos, qui sunt longe plurimi, et versus iambicos ad similitudinem versus pentametri hac in re accedere non minus planum est. In his autem si una syllaba, etiamsi levissima est, redit in versuum sede ea, cuius singularis vis est — in versus pentametri caësura legitima et in fine, in

[1]) Ne versum 13 quidem, quamquam in *θηεῦντο* exit, ad rimum arcessere velim.

versuum iambicorum fine ′—, hoc satis est ad rimum faciendum.[1])

Eae enim syllabae semper ictus vi ita efferuntur, ut satis valide sonent ad ludum efficiendum. Id vero ad rimum faciendum opus esse videtur, ut syllaba ictu erecta contineatur ludus.[2])

Rimos intestinos — eos dico, quos nos nomine *Binnenreime* appellare consuevimus — plerumque in caesuris esse positos eamque ob causam usque naturam contrariam exhibere eis, qui per clausulas versuum fiunt, pluribus explicandum esse non censeo.

Sed iam videamus, qui sint in eius in qua versamur fabulae diverbio versus *ὁμοτέλευτοι*.

Consentaneum est longe plurimum valere ea exempla, quae saepius binis versibus, semel tribus similis exitus continentur. Neque enim cogitari potest eiusmodi versuum nullo versu interposito separatorum singularem naturam histriones praeterisse, sed probabilitatis speciem sat magnam habere concedendum est, eos in recitandis versuum clausulis eis, quae eisdem litteris factae sunt, aequalitatem vocis sono indicasse. Id quod nonnullis locis sententiarum gravitate et verborum magnificentia non tam excusari, quam flagitari videbis, cum singula versuum paria examinaveris, quae in Septem contra Thebas sunt:

Saepissime difficillimum esse, singillatim exponere, cur sint in eis, in quibus sunt locis, versus rimati vel potius cur

---

[1]) Interdum unam vocalem satis esse ad rimum faciendum in hoc genere metrico videmus Theogn. 2, v. 478 (ed. Bergk. p. 516):

οὔτε τι γὰρ νήφω, | οὔτε λίην μεθύω,

quo in versu fortasse hiatus satis a Theognidis usu recedens hoc modo explicari potest, ut pausa rimi percipiendi causa facta eum occultasse dicatur.

[2]) Apud Otfridum quoque Weissenburgensem, antiquissimum nostrorum poetarum eorum, qui versus rimatos composuerunt, terminationem solam posse facere rimum notum est. cf. v. 60:

ni thárf man daz ouch rédinon thaz kríachi in thes giwídaron.

apti nobis videantur ad rem tractatam, nemo mihi non concedet.

De permultis versuum paribus ne id quidem valere aut demonstrari posse existimo, sententiarum gravitatem rimo augeri. Tantum concedi posse censeo, omnibus versibus homoteleutis id esse commune, quod soni similitudine illa aures mulceantur et delectentur mentesque singulari modo attendantur.

Eam autem definitionem si tenemus, nemo vituperabit, quod ad ea quoque versuum paria, quibus nulla sententiae communio est, disputationem nostram pertinere voluimus. Etiamsi igitur versus illi interpunctione disiunguntur, tamen breviter attingere eorum clausulas similiter cadentes liceat.

Hoc cadit in versus 16 et 17 (*τροφῷ: πέδῳ* [1]), v. 37 et 38 (*ὁδῷ: δόλῳ*), v. 214 et 215 alios.

Bini versus continui in eandem syllabam exeuntes duodetriginta locis sunt. Difficile erit probare in eis locis plus inesse gravitatis, quam in aliis rimo privatis, praesertim cum in eiusmodi rebus suum quisque sensum, haud raro etiam praeiudicatam opinionem sequi consuerit. Tamen liceat, ad locos afferendos pauca verba addere explicandi causa, quarum explicationum quantula sit fides et auctoritas ne me quidem praeterit.

Versus 16 et 17 ab Eteocle vehementissima animi perturbatione moto proferuntur, versibus 37 et 38 aptissime oratio terminatur. Eodem modo explicantur versus coniuncti hice: v. 214 et 215, v. 451 et 452, v. 459 et 460 — nam versu 461 transitus fit ad eam sententiam quae sequitur —, v. 496 et 497, quos in orationis fine positos esse ex sententia ipsa apparet, v. 662 et 663. [2])

[1]) Ex ratione ea, quam secuturum me esse supra exposui, sequitur, ut accentus varietas non possit ullo modo rimum tollere.

[2]) Huic exemplo, in quo duobus extremis versibus summa totius sententiae comprehenditur:

Ut in clausulis, sic in exordiis orationum saepius adhibetur ea forma versuum inter se coniunctorum: conferas v. 40 et 41 — v. 39 ad orationem ipsam non refertur —, v. 163 et 164, v. 578 et 579, v. 634 et 635.

Compluribus locis stichomythiae vis ita augetur, ut versus continui eadem syllaba terminentur.

Sic a versibus rimatis 227 et 228 optime stichomythia incipit. Conferas velim praeterea versus 238 et 239, 242 et 243, 697 et 698.

Item sententiarum gravitati premendae inservire videntur versus quasi gemini his locis:

v. 52 et 53, quibus infestissimus hostium animus enarratur, v. 58, 59, 60, quibus hostes cum omni apparatu bellico appropinquare nuntius territus refert, versibus 254 et 255, quibus Eteocles sollemniter dona dis pollicetur, versibus 370 et 371, qui in describendo apparatu hostili versantur, quibus-

ἀνδροῖν δ' ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ' αὐτοκτόνος
οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος.

singularem inesse vim manifestum est. Conferas praeterea (Dindorfiani sunt numeri): Aesch. Pers. v. 171 et 172:

τοῦδέ μοι γένεσθε, Πέρσαι, γηραλᾶ πιστώματα·
πάντα γὰρ τὰ κέδν' ἐν ὑμῖν ἐστί μοι βουλεύματα.

eiusdem fabulae v. 247 et 248:

τοῦδε γὰρ δράμημα φωτὸς Περσικὸν πρέπει μαθεῖν,
καὶ φέρει σαφές τι πρᾶγος ἐσθλὸν ἢ κακὸν κλύειν.

Soph. OR. v. 76 et 77:

ὅταν δ' ἵκηται, τηνικαῦτ' ἐγὼ κακὸς
μὴ δρῶν ἂν εἴην πάνθ' ὅσ' ἂν δηλοῖ θεός.

Eur. Phoen. v. 1478 et 1479:

πόλει δ' ἀγῶνες οἱ μὲν εὐτυχέστατοι
τῇδ' ἐξέβησαν, οἱ δὲ δυστυχέστατοι.

Ea exempla nos commonefaciunt consuetudinis eius, qua Shakespearius in orationum clausulis rimos ponere solebat, quam consuetudinem optime imitatus est Schillerus noster maxime in fabula ea, quae inscribitur ‚Tell'. Conferas in ea fabula clausulas actus primi, secundi, quarti, quinti.

cum coniungas versus 470 et 471: versibus 425 et 426, qui ab Eteocle vehementer minante pronuntiantur: odio inflammati Eteoclis sunt v. 643 et 644, quibus Polynicem illudit.

Neque magis silentio praetereundi videntur v. 380 et 381, in quibus sententiae concinnitas optime augetur pari extremarum syllabarum sono: simili modo explicandi sunt v. 420 et 421, qui fortuito in Eteoclis oratione eandem prorsus sedem obtinent, atque qui modo commemorati sunt: tertium quemque et quartum versum efficiunt.

Ut omnes locos, quibus versuum rimatorum paria sunt, uno in conspectu proponam, hi sunt:

v. 16. 17. *τροφῷ: πέδῳ.*
v. 37. 38. *ὁδῷ: δόλῳ.*
v. 40. 41. *φέρων: πραγμάτων.*
v. 52. 53. *φλέγων: δεδορκότων.*
v. 58. 59. 60. *τάχος: στρατὸς: ἀφρός.*
v. 75. 76. *σχεθεῖν: λέγειν.*
v. 163. 164. *ἀνασχετὰ: σωτήρια.*
v. 214. 215. *πειρωμένων: δόμων.*
v. 227. 228. *βροτῶν: φρυαγμάτων.*
v. 238. 239. *βέλος: γένος.*
v. 242. 243. *φόβος: τέλος.*
v. 254. 255. *θεοῖς: ἐπισκόποις.*
v. 261. 262. *δόμοις: θεοῖς.*
v. 370. 371. *σάκει: πρέπει.*
v. 375. 376. *μένων: πυλῶν.*
v. 380. 381. *δορὸς: ἀσπίδος.*
v. 420. 421. *κατήγορος: παρεσκευασμένος.*
v. 425. 426. *πυρφόρον: ἐξηκασμένον.*
v. 451. 452. *φερέγγυον: ζυγόν.*
v. 459. 460. *ἀσπίδος: πατρός.*
v. 470. 471. *λέγω: ἐρῶ.*
v. 496. 497. *δαιμόνων: ἡσσωμένων.*
v. 578. 579. *βροτοῖς: δυσσεβεστάτοις.*
v. 597. 598. *κάκῃ: μάχῃ.*

v. 616. 617. ἐπεξιακχάσας: πέλας.[1])
v. 634. 635. στύγος: γένος.
v. 643. 644. παρῆν: ἦν.
v. 697. 698. θεὸς: ἔπος.

Viginti septem locis bini, uno loco tres versus in eundem sonum exeuntes sese excipiunt.

Septem loci ita sunt comparati, ut ad par illud versuum in eandem syllabam exeuntium accedat tertius quisque versus in eandem syllabam exiens, uno versu interposito, ut:

v. 52. 53. 55 exeunt in syllabam ων:
σιδηρόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων
ἔπνει, λεόντων ὡς Ἄρη δεδορκότων.
καὶ τῶνδε πίστις οὐκ ὄκνῳ χρονίζεται.
κληρουμένους δ' ἔλειπον, ὡς πάλῳ λαχὼν
ἕκαστος αὐτῶν πρὸς πύλας ἄγοι λόχον.
v. 58. 59. 60. 62 exeunt in syllabam ος.
v. 227. 228. 230 - - - ων.

His locis vix eum qui recitabat similitudo soni fugere poterat: sed ne ibi quidem aures praeterit idem sonus ter rediens, ubi par illud versuum primum quemque sequitur, ut demonstrant:

v. 373. 375. 376 qui in syllabam ων exeunt:
βοᾷ παρ' ὄχθαις ποταμίαις, μάχης ἐρῶν,
ἵππος χαλινῶν δ' ὡς κατασθμαίνων βρέμει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὀργαίνει μένων.
τίν' ἀντιτάξεις τῷδε; τίς Προίτου πυλῶν
κλῄθρων λυθέντων προστατεῖν φερέγγυος;
v. 423. 425. 426 qui in syllabam ον exeunt.
v. 494. 496. 497 - - - ων -
v. 614. 616. 617 - - - ας -

Nemo, ut ego quidem spero, dubitabit, quin ea syllabarum aequalitas auribus percipi et potuerit et hodie possit.[2])

[1]) ᾶς et ἄς satis similitudinis habere, ut rimum facere possint, negari potest. Mihi is quoque locus ordini inserendus erat.

[2]) Videas infra p. 46 et proximas.

His exemplis transitus fit ad ea, in quibus bini versus eandem syllabam extremo loco exhibentes singulis versibus separantur, ita ut rimi ei existant, quos nos *überschlagende Reime* appellare consuevimus.

Ut est in:

v. 177. 179 exeuntibus in *σεται*.
v. 178. 180 - - *ον*:

κεὶ μή τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται,
ἀνήρ, γυνή τε, χὤ τι τῶν μεταίχμιον,
ψῆφος κατ' αὐτῶν ὀλεθρία βουλεύσεται,
λευστῆρα δήμου δ' οὔ τι μὴ φύγῃ μόρον.[1])

v. 181. 183 exeuntibus in *ω*.
v. 251. 253 - - *ον*.
v. 264. 266 - - *ον*.
v. 362. 364 - - *ᾱ*.
(vix v. 360 exiens in *ᾰ* huc referri potest.)
v. 367. 369 exeuntibus in *ον*.
v. 386. 388. 390 - - *ον*.
v. 416. 418 - - *εται*.
v. 444. 446 - - *τρόπον*.
v. 448. 450 - - *ων*.
v. 454. 456 - - *ων*.
v. 550. 552 - - *βίαν*.
v. 554. 556 - - *ον*.
v. 650. 652 - - *ας*.
v. 654. 656 - - *ος*.
v. 670. 672 - - *ος*.
v. 995. 997 - - *ον*.

[1]) Huius exempli simillimum est in: Sophoclis Ai. v. 62—65:
τοὺς ζῶντας αὖ δεσμοῖσι συνδήσας βοῶν
ποίμνας τε πάσας ἐς δόμους κομίζεται,
ὡς ἄνδρας, οὐχ ὡς εὔκερων ἄγραν ἔχων,
καὶ νῦν κατ' οἴκους συνδέτους αἰκίζεται.
Ea rimorum inter se conectendorum forma apud nos usitatissima nomine *Kreuzreime* appellatur.

v. 1010. 1012 exeuntibus in ω.
v. 1018. 1020 - - $\nu\iota$.
v. 1023. 1025 - - $o\varsigma$.

Histriones vocis modulatione eis qui audirent significasse talium locorum naturam ab usu trito diversam si pono, non longe a vero me aberrare puto. Quam pronuntiandi rationem servatam esse existimo in eis praesertim versibus, qui binas syllabas redeuntes exhibent v. 177. 179, v. 416. 418, magis etiam in eis, quibus idem vocabulum iteratur, v. 444. 446, v. 550. 552.[1])

Verborum vis eiusmodi ornamentis bene augeri posse intellegitur ex uno maxime loco, v. 177—180, quorum versuum rimi, ad similitudinem stropharum earum, quibus poetae lyrici nostrae aetatis uti solent, sese excipientes optime ad iram et violentiam Eteoclis se accommodant. Atque cum v. 181 et 183 item in eandem vocalem exeant, satis sane mirari licet, quot eiusmodi orationis ornamenta huc concurrerint. Quae cum mirum in modum cum nostro sensu poetico congruant, liceat germanico sermone totum locum reddere, simul litterulis appositis indicare, quemadmodum rimi inter sese respondeant:

a. Und sollte einer nicht beachten mein Gebot,
b. Es sei ein Mann, ein Weib, sei weder dies noch das,
a. Dem ist die Todesstrafe hiermit angedroht,
b. Von Volkeshand gesteinigt, sinke er aufs Gras.
c. Das draussen geht den Mann nur an; dies kümmre nie
d. Das Weib. Bleibt ihr im Hause, dort liegt eure Pflicht!
c. Ihr hört doch? oder hört ihr nicht? seid taub wòl, wie?

Eam sonorum aequalitatem aures nostrae fere semper in exitu versuum percipere consuerunt, quae est causa, cur nos in eam potissimum versus partem animum nostrum ad-

[1]) Ne id quidem rimorum genus poetis nostris ignotum est. Rimos per idem vocabulum factos nomine *rührende Reime* nuncupant.

vertamus. Prorsus aliter res sese habebat apud Graecos: etenim cum illa sonorum similitudo sua sponte poetis sese offerebat, nil obstabat, quin ea ad ornandam orationem uterentur, quod cur tamen in clausulis versuum saepius factum sit, quam aliis in sedibus, nihil est, quod miremur: nam in recitandis versibus exiguam pausam eo loco factam esse natura rei docet.

Quamquam extremae versus syllabae ne minimum quidem ea erat vis apud veteres, quam nos ei tribuere solemus: reliquae syllabae ictu metrico elatae intra versum positae eandem ferme vim habebant.

Quare alienum esse non videtur a meo proposito, eos quoque locos afferre, qui syllabam eandem eadem in arsi versuum binorum sese excipientium exhibent, qui sunt:

v. 4. 5.

εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεοῦ·
εἰ δ' αὖθ', ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι.

v. 60. 61.

χωρεῖ, κονίει, πεδία δ' ἀργηστὴς ἀφρὸς
χραίνει σταλαγμοῖς ἱππικῶν ἐκ πνευμόνων.

v. 170. 171. *ὁμιλητὸν: πλέον.*
v. 384. 385. *θανόντι: φέροντι.*
v. 403. 404. *δοῖεν: εἴληχεν.*
v. 429. 430. *λῆμα: φρούρημα.*
v. 456. 457. *ἱππικῶν: πυλῶν.*
v. 460. 461. *κοσμήσει: φθόνει.*
v. 477. 478. *κοιλογάστορος: ἔνθεος.*
v. 628. 629. *λέγει: ἕξει.*
v. 642. 643. *ἀσπίδος: Διός.*
v. 664. 665. *κακὸν; μόνον.*
v. 671. 672. *ἴτω: Φοίβῳ, Κωκυτοῦ: Λαΐου.*
v. 691. 692. *ἐνυπνίων: χρημάτων.*
v. 788. 789. *τῶν: ἀλλήλων.*
v. 993. 994. *στέγων: ἱερῶν.*
v. 1000. 1001. *ἐμποδὼν: θανών.*

v. 1008. 1009. *φίλων: Καδμείων.*
v. 1022. 1023. *οὖσα: φέρουσα.*

Sed uti in horum exemplorum numero complura sunt, quae aut syllabis levissimis (v. 403. 404, 477. 478) aut vocabulis parum gravibus continentur (v. 788. 789), quibus rimis ullam inesse vim nemo demonstrabit, ita in aliis ad eum de quo agimus rimum accedit syllabarum in thesi positarum similitudo, quae apta videtur ad ludum sonorum adiuvandum. Conferas exempli gratia

v. 170. 171, ubi optime inter se opponuntur:

κρατοῦσα μὲν γὰρ οὐχ ὁμιλητὸν θράσος,
δείσασα δ' οἴκῳ καὶ πόλει πλέον κακόν.

Durch Hoheit wird ein Weib nur unerträglich frech,
Durch Feigheit bringt sie Haus und Stadt in schrecklich Leid. [1])

Sed noster sermo non is est, quo id genus locorum bene imitari possis, quippe qui non iam habeat tantam vim in verborum terminationibus, quantam sermo graecus latinus alii.

Binarum syllabarum congruentia evidentior fit rimus, uti in v. 384 et 385 verbis *θανόντι* et *φέροντι* in eadem versus sede positis Eteoclis verborum acerbitas augetur. In v. 429. 430

αἴθων τέτακται λῆμα, Πολυφόντου βία,
φερέγγυον φρούρημα ...

vocabulis *λῆμα* et *φρούρημα* in caesura versuum collocatis tam bene augetur sententiarum concinnitas, ut veri speciem

[1]) Item ad rimum in versuum exitu positum accedit thesium similitudo in v. 238 et 239.

ΧΟ. ὦ παγκρατὲς Ζεῦ, τρέψον εἰς ἐχθροὺς βέλος
ΕΤ. ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπασας γένος

qua in imitatione sonorum mihi quidem irrisionis aliquid inesse videtur.

v. 370 et 371:

λαμπρὰ δὲ πανσέληνος ἐν μέσῳ σάκει,
πρέσβιστον ἄστρων, νυκτὸς ὀφθαλμός, πρέπει.

sat magnam habeat, si quis existimet, de industria poetam studuisse huic sonorum similitudini.

Sed ne nimium videre videar, de reliquis exemplis nihil addam.

Scripsi adhuc de sonorum similitudine eadem in sede versuum binorum maxime continuorum posita, et quantum saepe afferret ad sententiarum partes scite disiungendas exponere studui.

Qua me in re non praeteriit, haud raro non tam sonorum, quam formarum ipsarum aequalitatem eam esse, cui enuntiata bene conformata deberemus.

Manifestissimum id erit collectis eis versibus, in quibus eadem terminatio grammatica bis vel ter in singulis legatur.

Dicere sane licet de eis locis omnibus structura grammatica flagitari eas formas, quantumcunque similes sint, neque ego equidem negare ausim hoc ita esse. Tamen tantum dico, et ipsas leges grammaticas cum bono prosaë orationis scriptori tum vero poetae instrumenta esse suis consiliis satis faciundi. Hoc necesse est quivis concedat.

Si enim versum 3:

οἴακα νωμῶν, βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ

contuleris, formas illas *νωμῶν* et *κοιμῶν* fortuito eandem terminationem exhibere facile tibi persuadebis. Nihilo tamen setius tibi confitendum erit pulchritudini orationis aliquid addi sono eodem iterato:

Das Ruder lenkt, nie senkt die Lider er im Schlaf.

Plane idem sentio sicut de multis aliis locis ita de hisce:

v. 31. *ὁρμᾶσθε πάντες, σοῦσθε σὺν παντευχίᾳ.*
v. 33. *πύργων στάθητε καὶ πυλῶν ἐπ' ἐξόδοις.*
v. 60. *χωρεῖ, κονίει, πεδία δ' ἀργηστὴς ἀφρός.*
v. 63. *φράξαι πόλισμα, πρὶν καταιγίσαι πνοάς.*
v. 164. *ἦ ταῦτ' ἄριστα καὶ πόλει σωτήρια.*
v. 260. *θήσειν τρόπαια, δαΐων δ' ἐσθήματα.*

v. 691 et 692. *ἄγαν δ' ἀληθεῖς ἐνυπνίων φαντασμάτων ὄψεις, πατρῴων χρημάτων δατήριοι.*

v. 1012. *ἐγώ σφε θάψω κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ*

v. 1016. *μητρὸς ταλαίνης κἀπὸ δυστήνου πατρός.*

Quae ratio maxime perspicua est, cum syllaba proxime ante caesuram posita extremae totius versus syllabae respondet, uti in versibus 164, 260, 1012.

Multa esse eiusmodi exempla non est, quod miremur: nam ipsa linguae natura ita fert.

Quam ob rem operae pretium non videtur esse, omnia huius rei exempla enumerare.

Poetam sibi conscium fuisse orationis ornamentorum talium, qualia extremo loco attuli, neque quisquam poterit demonstrare nec volet. Ne in prioribus quidem rimorum generibus disputatio ea facilior erit, quo usque poetae consilium pateat. Ac ne interest quidem eam quaestionem tractari. Animum advertere haec et talia satis habemus.

Digni, qui singulariter notentur, ei loci videntur, in quibus bis binae formae in hunc modum coniunctae sunt, ut

v. 47. 48.

ὡρκωμότησαν . . .
θέντες λαπάξειν ἄστυ Καδμείων βίᾳ
ἢ γῆν θανόντες τήνδε φυράσειν φόνῳ.

Eius simillimus est locus, qui versibus 458 et 460 continetur — uno versu interposito —

ἀλλ' ἢ θανὼν τροφεῖα πληρώσει χθονί,
ἢ καὶ δύ' ἄνδρε καὶ πόλισμ' ἐπ' ἀσπίδος
ἑλὼν λαφύροις δῶμα κοσμήσει πατρός.[1])

Aliter distribuuntur voces inter se respondentes v. 374, 375:

---

[1]) *Ὁμοτέλευτον*
ἀπίδος: πατρός
bene adnectit versum ludo, qui est in versibus 458 et 460, interpositum.

ἵππος χαλινῶν δ' ὡς κατασθμαίνων βρέμει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὀργαίνει μένων,[1])

in singulis versibus conectuntur

v. 439. λέξω· τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος.
v. 614. οἵας ἀρᾶται καὶ κατεύχεται τύχας.
v. 662. ἀνδροῖν δ' ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ' αὐτοκτόνος.

Ea exempla facient satis ad probandum id, quod volui.

Sed forsitan dixerit quispiam omnes eas quaestiones ad rhetoricam potius artem, quam ad poeticam vel rhythmicam pertinere.

Atque hoc concedi potest, quamquam aliquantum interest etiam hac in re inter orationem prosam et poeticam. Nam versuum rhythmus, aequo semper gradu incedens, alia prorsus praebet fundamenta arti huic factitandae, numerorum natura finibus certissimis circumsaepit eiusmodi ornamenta, quorum multo maior est libertas penes pedestris sermonis scriptorem.

Laudem et gloriam orationis optime eiusmodi flosculis exornatae praestantissimeque conformatae fere eandem tribuendam esse et poetae et scriptori omnes consentiunt.

Quam laudem ornatissime cultissimeque dicendi Aeschylo fabulaeque ei, quam tractamus, summo iure mihi tribuere videor. [2])

Sed haec hactenus de versuum et verborum terminationibus.

[1]) Ne recepta quidem correctione Freyiana, quam commendat Ritschelius opusc. I p. 308, multum conturbatur nostra de hoc loco opinio.

[2]) Conferas velim totius libelli clausulam (p. 76 et 77).

II.

De allitteratione.

Accedimus ad prorsus aliud, non modo contrarium genus orationis illustrandae atque exornandae, ad allitterationes, de quibus aliquantulo uberius dicere mihi proposui.

Satis cognitum est antiquissima nostrae linguae carmina quae nobis tradita sunt ita esse composita, ut certa syllabarum mensura non observetur, syllabarum numerus varietati quam maximae sit obnoxius, allitteratio praecipue versum faciat. Neque ad nostrum spectat propositum aut interest plenius exponere, quo modo vel quam diversis modis allitteratio adhibita sit.

Graecorum quoque poesin certa quadam aetate ei legi obnoxiam fuisse, ne studuit quidem quisquam probare.[1])

Tantum probabile videtur, sensus illius a natura homi-

[1]) Fuerunt sane metricae artis doctores, qui dicerent, artem metricam antiquissimam ut omnium populorum ita Graecorum quoque eam fuisse, ut accentus vocabulorum versum faceret.

Cf. Apelii art. metr. II, p. 1—4 et praecripue p. 3, 495: Was aus der Natur des Accentes und der Quantität sich ergibt, bestätigt auch die Geschichte. Ueberall finden wir den accentirten Vers als den ältesten.

Id autem si concedi posset, veri simile esset, allitterationum quoque fabulosis illis temporibus frequentiorem quam aetate ea, cuius accuratior memoria ad nos pervenit, usum fuisse.

Sed earum rerum nihil vel levissimis testimoniis confirmari potest.

nibus insiti, quem poetae nostri illius de qua modo dixi aetatis fere solum secuti sunt, vestigia certe apud Graecos inveniri posse, etiamsi versuum compositio alio fundamento nitatur.

Id cur valde miremur causa non est. Nam antiquissimae poeseos latinae aetate allitterationis studiosissimos fuisse poetas exemplorum multitudine probatum est atque ei, qui Plauti fabulas tractant, plura in dies exempla colligunt et quam variis modis ille eam artis poeticae partem excoluerit exponunt.

Conferas *A. F. Naekii* commentationem de allitteratione sermonis latini in mus. Rhenan. vol. III anni CIↃIↃCCCXXIX p. 324 sq. locosque ibi allatos,

praefationem *Augusti Laurenti* (Lorenz) in editionem Militis Gloriosi,

libellum *Klotzianum* in programmate Zittaviensi proximi anni, cui viro docto in omnibus rebus assentiri satis difficile esse videtur mihi quidem.

Atqui linguam graecam et romanam ex eadem stirpe esse genitas cum nemini sit dubium (cf. artem metricam *Rossb. et Westphal* vol. II, p. 36 proximas), qui factum esse putas, ut a Graecorum indole atque ingenii natura is sensus plane alienus esset?

Accedit quod ea coniungendorum vocabulorum ratio nequaquam quaesita vel nimis recondita nominari potest, sed facillime auribus percipitur et maxime ad populi sensum se accommodat. Id de Romanis valeat (cf. *Teuffelii* historiam litterarum Romanarum p. 136 editionis alterius), non valeat de Graecis, quos praeter ceteros subtili aurium iudicio usos esse ex nonnullis quae nobis traduntur narratiunculis pervenustis apparet?

Neque sane quisquam prorsus negat ad Graecorum quoque sensum spectare id genus sermonis potissimum poetici et multi editores occasione data animadvertere locos hoc modo formatos vel ornatos.

Mihi quidem cum in id genus sermonis exornandi inquirerem, parum adhuc operae collocatum esse in harum rerum exploratione visum est.

Ut *Christius* in libro de Romanorum et Graecorum arte metrica nihil de hac re dicit nisi hanc sententiolam:

Die Allitteration ist nur ein rhetorisches Element, das als Schmuck der Rede namentlich in der älteren lateinischen Poesie eine Rolle spielt.

Quatenus mihi contigerit ut periculum summum ne nimium videam evitem, eam quaestionem aliis diiudicandam trado.

Nunc si videtur ad ipsam rem accedamus!

Ac primum quidem illud mihi videtur exemplis probandum esse, Graecos delectari similitudine soni eorum vocabulorum, quae in explicandis mentis sensis praecipuum habeant locum, id quod paucis me expositurum confido. Tot enim exstant loci, quibus vel eodem verbo repetito vel eiusdem verbi variis formis coniunctis pondus orationis augetur vix ut de ea re dubium esse possit.

Longe vero plurima eius generis exempla apud poetas comicos invenimus maximeque apud Aristophanem, qui ad perstringendos cum poetas tum maxime philosophos talibus ludis verborum utitur idque tam saepe, ut haud parvam habeat difficultatem cum pulvisculo exhaurire singulas poetae illius artes et prope argutias. Alia prorsus ratione Aeschylus in sublimi dicendi genere eiusmodi artificiis studet: nam non solum ad vim comicam, sed etiam ad vim tragicam verborum augendam maxime illa sunt idonea.

Huc referendae sunt anaphorae quas dicunt, annominationes, figurae etymologicae, similia id genus, denique omnia artificia rhetorica, quae verborum vel eorundem vel inter se cognatorum concursu exsistunt.

Quorum artificiorum magna copia exstat in partibus fabularum lyricis, saepe ad efferendam sententiam aptissime adhibitorum, ut Septem v. 875 sq.:

διήκει δὲ καὶ πόλιν στόνος,
στένουσι πύργοι, στένει
πέδον φίλανδρον, μενεῖ
κτέανά τ' ἐπιγόνοις,

ubi stirpis *στεν* tres formas coniunctas ad unum verborum ludum, praeterea allitterationem (*πύργοι*: *πέδον*) et rimum (*στένει*: *μενεῖ*) a poeta cumulata vides in verbis ad chori dolorem exprimendum non sine consilio accommodatis.

Anaphoram, rimum, allitterationem idem Aeschylus coniunxit eiusdem fabulae v. 886 sq.:

σιδαρόπλακτοι μὲν ὧδ' ἔχουσιν,
σιδαρόπλακτοι δὲ τοὺς μένουσιν,
τάχ' ἄν τις εἴποι τίνες,
τάφων, πατρῴων λαχαί.

Sed ne nimis a nostro proposito aberremus, eos diverbiorum locos, in quibus Aeschylus coniungendis aut similibus inter se aut paribus verbis orationi ornandae studet, afferemus.

Idem verbum bis ponitur sententiae premendae causa duobus diverbii locis: v. 631, 633 et v. 1026, 1027, qui tamen paullulum ab anaphorae natura recedunt.[1])

Studium quoddam huius figurae Aeschylus prodit eis locis, quibus aut eiusdem verbi aut stirpis duae vel tres variae formae coniunguntur, ut his viginti quinque locis:

v. 175. *αὐτοὶ*: *αὐτῶν*.
v. 200. *θεῶν*: *θεούς*.
v. 228. 229. *ἀκούω*: *ἀκούουσα*: *ἄκουε*.
v. 244. *τάχιστα*: *τάχα*.
v. 245. 246. *σίγησον*: *σιγῶ*.
v. 249. 250. *εὔχου*: *εὐγμάτων*.

---

[1]) Loco priore fortasse cum Ritschelio (opuscul. vol. I p. 320) mendum latere suspiceris.

v. 387. αὐτὸς: αὐτοῦ.
v. 403. τούτῳ: οὕτως.
v. 432. ἄλλον: ἄλλαις.
v. 439. τρίτῳ: τρίτος.
v. 453. 454. πέμποιμι: πέπεμπται.
v. 455. σπέρμα: σπαρτῶν.
v. 486. ἀνὴρ: ἄνδρα.
v. 490. ἀνὴρ: ἀνδρί.
v. 507. 508. πέμπτον: πέμπταις.
v. 568. 569. χθόνα: χθονός.
v. 580. 581. κακῆς: κάκιον.
v. 612. ἕβδομον: ἑβδόμαις.
v. 655. ἄρχοντι: ἄρχων.
v. 656. ἐχθρὸς: ἐχθρῷ.
v. 989. δοκοῦντα: δόξαντα.
v. 995. τέθνηκεν: θνήσκειν.
v. 1011. 1012. 1013. θάπτειν: θάψω: θάψασα.
v. 1028. 1029. τραχὺς: τράχυνε.
v. 1033. κακῶς: κακοῖσιν.[1])

Horum omnium quos affero locorum ratio ea est, ut iteratione vocis concinnior fiat sententia, poetae igitur ea iteratio laudi tribuenda sit praeter unum locum v. 568, ubi Ritschelii γύην magis sane placet, quam librorum repetitio satis languida.

Quae quidem exempla omnia continentur verbis simplicibus: nec vero minus Aeschylus verba composita in eiusmodi figuris adhibet, sed ferme ita, ut singula verba sim-

[1]) Conferas cum extremo exemplo
Aesch. Pers. 1041: δόσιν κακὰν κακῶν κακοῖς.
Soph. Ai. 866: πόνος πόνῳ πόνον φέρει.
Quanto opere Graeci eisdem vocabulis se excipientibus delectati sint apparet cum ex multis aliis locis tum inprimis ex
Dem. XXI 204 p. 580: κακὸς κακῶς ἀπολεῖ.
cl. Dem. XXXII 6 p. 883: κακὸς κακῶς ἀπώλετο.
Talium formularum sat frequens apud omnes poetas et scriptores usus est.

plicia ad singula composita adnectantur, sive haec sive illa praecedunt.

Conferas exempla:

v. 6. 7. *πολὺς: πολυῤῥόθοις.*
v. 11. *ἥβης: ἔξηβον.*
v. 18. *ἅπαντα: πανδοκοῦσα.*
v. 31. *πάντες: παντευχίᾳ.*
v. 514. *ἀνδρόπαις: ἀνήρ.* [1])
v. 634. *θεομανὲς: θεῶν.*
v. 655. *κασιγνήτῳ: κάσις.*
v. 781. *ἑβδόμας: ἑβδομαγέτας.*
v. 786. 787. *παραφρονῶ: φρονοῦσα.*
v. 1030. 1031. *τιμήσεις: δυστετίμηται.*

In quattuor exemplis simplex quodque verbum sequitur (v. 514. 634. 655. 787), in reliquis praecedit.

Singularis natura est exempli eius, quod est in v. 533:

ἦ τᾶν πανώλεις παγκάκως τ' ὀλοίατο.

Ibi enim duobus verbis, quae stirpe *παν* composita sunt coniunctis accedit verbum simplex *ὄλλυμι,* cuius stirps item iam in priore vocabulo composito *πανώλεις* inerat.

Quibus quidem exemplis probasse nobis videmur, Aeschylum de industria saepe quaesiisse formulas quibus coniungeret aut plures eiusdem verbi formas aut plura eiusdem stirpis vocabula, id quod demonstrare vix opus erat,[2])

---

[1]) v. 474. 475 *πυρπνόον: πυρὸς* quamquam simillimus est locus, hoc ad genus pertinere negaverim.

[2]) De ea poetarum maxime tragicorum consuetudine saepius iam disputatum est, velut a *Ludovico Schmidtio* in *Berliner Zeitschrift für das Gymnasialwesen* 1868, p. 646 ff., qui quamquam multorum virorum doctorum sententias de ea re prolatas affert, tamen non semper recte videtur sentire de singulis locis ac ne recte quidem intellexisse Ritschelii verba, quem accusat, quod parum toleranter in vocabulorum iterationes insaeviat. — Certa de talibus rebus praecepta numquam dari poterunt, sed cum scriptoris vel poetae cuiusdam ingenium scribendique usus examinanda tum vero sano iudicio unusquisque locus pertractandus erit.

sed ad nostrum spectabat propositum eam ob causam, quoniam verisimile est, quod in coniungendis syllabis placuerit, idem occasione data in coniungendis solis litteris adhibitum esse.

Sed haec ad exempla priusquam transgrediamur, pauca verba de genere quodam allitterationum, si ita nominari possunt, praemittam, quod quamvis fortuito alienum sit ab eius quam tractamus fabulae diverbio, proxime tamen ad id genus, de quo paullo supra disseruimus, accedit, quamvis non prorsus aequet.

Spectat id annominationis potius, quam allitterationis genus ad sola nomina propria: poeta ea ita usurpat, ut quae eorum sit vis appellativa,[1]) quam grammatici dicunt ex conexu sententiarum appareat.

Tale artificium inest in Aesch. Prom. v. 85 et 86:

ψευδωνύμως σε δαίμονες Προμηθέα
καλοῦσιν· αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως.

Quo cum loco coniungi potest Aesch. Sept. v. 131 (ed. Hermannianae):

καὶ σύ, Λύκει' ἄναξ, Λύκειος γενοῦ

et conferri possunt

v. 639. *ἐπωνύμῳ δὲ κάρτα, Πολυνείκει λέγω.*
v. 810. *οἳ δῆτ' ὀρθῶς κατ' ἐπωνυμίαν . . . καὶ πολυνεικεῖς.*

Paullulum ab hac ratione recedunt exempla ea, quae nunc allaturus sum, in quibus non modo nomina propria coniunguntur, sed ea etiam vocabula, quae ab eadem stirpe derivata esse non primo oculorum obtutu intellegere possis aut quae omnino sono solum cognata vel similia sint.

Priori ordini adnumerandum est exemplum hoc Aesch. Choeph. v. 910 et 911:

---

[1]) Ut omnium clarorum poetarum est, vocabulis usu tritis suam vim reddere, ita ne Aeschylus quidem ei ingeniorum eximiorum muneri defuit: conferas *Sanneg,* de vocabulorum compositione graeca, inprimis Aeschylea, Halis, CIϽIϽCCCLXV p. 31.

ΚΛ. η Μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία.
ΟΡ. καὶ τόνδε τοίνυν Μοῖρ' ἐπόρσυνεν μόρον.

Nam utrum poeta de communi illarum vocum stirpe *ΜΕΡ* (*μείρομαι*) cogitarit an non, nihil interest: per ludum et quia similitudine soni delectabatur, eum voces illas composuisse certissimum est.

Num Septem versus 359:

βρέμει, πόρον δ' Ἰσμηνὸν οὐκ ἐᾷ περᾶν

huc referri posset, dubitabam, iniuria fortasse.

Sonum tantum modo similem saepe numero poetae consiliis facere satis stirpium cognationis ratione non habita multis aliis exemplis probatur, qualia haec sunt:

Septem v. 409. 410.

. . . οὐδὲ τὴν Διὸς
Ἔριν πέδῳ σκήψασαν ἐμποδὼν σχεθεῖν.

Pers. v. 205. 206.

ὁρῶ δὲ φεύγοντ' ἀετὸν πρὸς ἐσχάραν
Φοίβου· φόβῳ δ' ἄφθογγος ἐστάθην, φίλοι.

Da seh zu Phoebus Altar einen Aar ich fliehn,
Und Furcht erfasst mich, Freunde, dass das Wort mir fehlt.[1])

Facilius etiam auribus percipi debebant exempla haecce *παρονομασίας* sive annominationis Ag. v. 681 sq.:

Τίς ποτ' ὠνόμαζεν ὧδ' ἐς τὸ πᾶν ἐτητύμως . . .
Ἑλέναν; ἐπεὶ πρεπόντως
ἑλέναυς, ἕλανδρος, ἑλέπτολις.

Ag. v. 1080 sq.: *Ἄπολλον, Ἄπολλον,*
ἀγυιᾶτ', Ἀπόλλων ἐμός.
ἀπώλεσας γὰρ οὐ μόλις τὸ δεύτερον.

Illud in eis exemplis, quae extremo loco attuli, singulare esse dixerim, quod soni similitudinem poetam ibi quaesiisse per se patet.

---

[1]) Hoc loco de syllabis *Φοιβ* et *φοβ* solis agitur, sed in versione non potui non reliquas quoque *φ* litteras imitari.

Sed ut illis locis syllabarum similitudo sententiarum vim auget, item littera non semel posita verbis premendis haud raro inservit.

Atque ex eis exemplis, quae huc referenda collegi, primo loco ea afferam, in quibus poeta non solum ad sententiam concinniorem efficiendam vocabula ea, quae sunt maximi momenti, ita elegit, ut eiusdem litterae sonus saepius auribus simulque animis se insinuaret, sed in quibus sono ipso id consectatus esse videtur Aeschylus, ut similium litterarum consonarum concursu certum quoque loco animi affectum describeret. Quod fuerit poetae iudicium, quae ratio, vix unoquoque loco diiudicare licebit, praesertim cum credi nequeat, Graecos de litterarum natura et sono idem sensisse quod nos. At etiamsi concedendum est, nos nondum potuisse eo prodire notitiae sermonis Graeci, ut quae fuisset veterum Graecorum pronuntiandi ratio, accurate definiremus, tamen litterarum naturam ex linguis cognatis ita cognitam habemus ut in maximis rebus recte nos sentire certissime constet, Atque nonne ipsi Graecorum quodam modo consanguinei sumus, non licet Germanicae et Graecae linguae consanguinitatem meminisse?

Quem litterarum ludem nos voce nostra imitari, auribus nostris poterimus percipere, idem ne Graecorum quidem aures effugere potuerit. Rarissime accidet, ut prorsus fallamur aurium iudicio. Ut si versum 183 recitamus:

ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας ἢ κωφῇ λέγω;

quis non sentiat, littera κ quater posita fortiorem fieri Eteoclis interrogationem? Luculentius etiam exemplum scriptum videmus in v. 367:

χαλκήλατοι κλάζουσι κώδωνες φόβον,

quo versu nuntius ipsum tintinnabuli strepitum imitari videtur. Num versu 370

λαμπρὰ δὲ πανσέληνος ἐν μέσῳ σάκει

σ littera ter posita lunae fulgorem significare voluerit poeta, ipse dubito: nam a loci sententia abhorrere videtur eximia arte

in Schildes Mitte strahlet heller Vollmondschein odiosam illam imaginem depingere. Sed in versu 376

τίν' ἀντιτάξεις τῷδε; τίς Προίτου πυλῶν

τ littera quater pronuntiata interrogationem vehementiorem fieri manifestum est.

In versibus 580 et 581

. . . ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδέν, καρπὸς οὐ κομιστέος

ludus verborum κακῆς: κάκιον effertur bis repetita littera κ atque haud scio an dici possit comparationis eius rationem difficiliorem intellectu excusari quodam modo studio similitudinis soni.

Versu 1017 Antigona animos suos alloquitur his praeclaris verbis:

τοιγὰρ θέλουσ' ἄκοντι κοινώνει κακῶν,

quibus optime Antigona pronuntiat se prorsus eandem cum Polynice fortunam pati velle.

Qua potissimum in re posita sit singularis talium locorum venustas, vix argumentis demonstrare poteris: ut saepe summa quaeque in quaque arte vel disciplina litteris mandare difficillimum est. Imitatione sperare possumus nos quam proxime accessuros esse ad verum de eiusmodi locis iudicium.

So halte willig bei ihm aus, mein Herz, und hilf
Ihm dulden!

Rationem nimis argutam et quaesitam sequitur *F. C. Kirchhoffius,* qui primum quantum scio in programmate Altonensi anni CIƆIƆCCCLXI *Zur Theorie einer griechisch-römischen Phonik* his de rebus egit.

Etiamsi dubito, num vel unum illius nova disciplina a praeceptis monstruosis profecta invenerit fautorem, tamen non possum non breviter hoc loco explanare, quas ille sequatur leges et rationes a se ipso inventas. In quibus profitendis quanta ille confidentia, quanta audacia utatur, non possum satis mirari: neque enim ullum veterem grammaticum

auctorem nugarum suarum habet, quae mihi quidem ab omni sensu humano abhorrere videntur, neque ipse quam maxima aurium contentione poterit percipere omnia illa verborum et litterarum artificia, quae in veterum versibus inesse nobis persuadere vult. Novam prorsus et inauditam nos artem docet ille vir doctus, quandoquidem numquam et nusquam tales allitterationis leges exstiterunt, quales ille ex veterum poëmatis elicit.

Primum quidem dicit non easdem solum litteras allitterationis vinculo colligatas esse, sed sufficere, si illae similitudinem quandam physiologicam habeant. Id quod nemo concedere poterit, qui sibi persuasum habebit, semper quaerendum esse, possitne auribus humanis percipi illa similitudo: quam ille ad allitterationem formandam satis facere dicit litterarum affinitatem, ea prorsus aliena est a voce humana aut certe a pronuntiandi ratione.

Ab eis classibus, in quas viri docti physiologiae studiosi litteras consonas distribui volunt, numquam pendere poterunt eiusmodi sonorum ludi, quoniam soni earum litterarum interdum tam diversi inter se sunt, ut neque voce possit significari affinitas illa physiologica neque auribus percipi, quae princeps atque summa lex omnium artium ad poetarum opera pertinentium esse debet. Non ex physiologorum schedis, sed ab auribus eorum, qui audiunt, iustum legitimumque de poetae arte iudicium repetendum est.

Sed longius progreditur *Kirchhoffius*: etiam ad *γράμματα ἀνεκφώνητα* schemata eius phonica patent, unde luculentissime apparet, oculorum acie eum illas leges invenisse, non animadvertisse auribus, quarum iudicium omnino iusto magis despici et contemni solet ab eis, qui e libris quasi unicis sapientiae fontibus haurire consuerunt.

Consonas litteras eas, quae e duabus coaluerunt, *Kirchhoffius* ita a poetis ad allitterationes formandas putat adhiberi, ut aut altera aut altera aut utraque pars schemati phonico inseratur, neque vero ita, ut $\bar{\psi}$ litterae, ut exemplo

utar, $\bar{\pi}$ aut $\bar{\sigma}$ repetatur, sed illius $\bar{\pi}$ et $\bar{\sigma}$ litterae cognatae ad eam quam supra reiciebam legem.

De vocalibus lege phonica coniungendis ($\overline{\alpha\iota}$ coniungi vult cum $\bar{\varepsilon}$, $\bar{\varepsilon}$ cum $\overline{\varepsilon\iota}$, $\bar{\iota}$, $\bar{\eta}$), de spiritu aspero et leni modo legem phonicam sequentibus modo excedentibus ita disserit, ut repetere eius verba taedeat. Quam extremo loco commemorabam licentiam poetarum nomine *ἀμφιβολίας* nuncupans frustra stultitiam nomine docto in sapientiam mutare studuerit.

Omnino audacius, quam felicius egit, quod nomina in arte metrica usitata usuque probata in artem phonicam transtulit, quam artem *Kirchhoffio* superstitem fore quis est qui speret? —

Hanc mihi in meis quaestionibus principalem praeposui legem, ut semper examinarem, utrum vocis ipsius vel potius aurium iudicio confirmarentur ea, quae observasse mihi viderer an non confirmarentur.

Per se enim intellegitur quaestionem primam eam semper fuisse, num vocabula ea, de quibus agerem, tam magnam in enuntiatis vim atque auctoritatem haberent, ut digna viderentur, quae singulariter efferentur. Quare non omnia vocabulorum genera possint hic considerari, facile perspicitur, quamvis saepius sane in dubitationem vocari possit, utrum recte omittamus sonum vocis cuiusdam levioris momenti ad sententiam conformandam necne omittamus. Certam omnibus locis normam sequi in re tam incerta, certis circumscribere finibus artem eam, quam suo cuique iudicio definire, proprio modo explicare licet, neque ego potero neque umquam sine maximis difficultatibus quisquam poterit.

Quibus ego causis vel argumentis commotus meum de quoque loco fecerim iudicium, interdum explanabo, saepius praeteribo et brevitatis gratia et quia per difficile est inquirere in eas leges, quas sequatur sensus innatus.

Quamquam spero fore ut quod scripserim aut explicari aut excusari possit. Institui autem observationes meas hunc in modum: profectus ab exemplorum multitudine omnes di-

verbii locos, in quibus vocum soni similitudo mihi aliquid valere videbatur, collectos ita distribui, ut quae saepissime legerentur allitterationum formae, certae eas classi ascriberem, deinde eius formae similes quaerens reliquarum numerum eodem modo dividerem et cetera.

Ea ratione ad has perveni animadversiones:

1. Longe plurimum ad allitterationes formandas valent litterae consonae, multo minus vocales.

2. Prorsus eadem littera repetatur oportet ad allitterationem efficiendam, nisi forte vocalium diversitas neglegatur ita, ut spiritus potius allitterationem faciat.

3. Vocabulorum compositorum primariae partis, quae summi esse solet momenti ad notionem et significationem definiendam, primo loco ratio habenda est, non prorsus omittendus sonus litterarum in partium reliquarum initiis positarum.

Atque ut a rebus minus gravibus ad severiores ascendam, primum de eadem vocali saepius posita, de cumulatis vocalibus et diphthongis, de spiritu aspero et leni coniunctis dicam.

Primum autem eos locos colligenti, in quibus bina aut plura ab eadem vocali in singulis versibus inciperent vocabula, spiritu quidem leni ornata, sat magnum discrimen esse factum inter vocales mihi apparuit. Id quamquam magnam quidem partem explicatur graecae linguae natura, quae vocibus ab $\bar{\alpha}$ et $\bar{\varepsilon}$ incipientibus magis favet, quam, ab $\bar{\eta}$, $\bar{\iota}$, $\bar{o}$, $\bar{\upsilon}$, $\bar{\omega}$ incipientibus, tamen est, quod miremur. Nam exempla ad $\bar{\alpha}$ vocalem pertinentia viginti quinque exstant his versibus:

v. 56. 57. *ἕκαστος αὐτῶν πρὸς πύλας ἄγοι λόγον.*
πρὸς ταῦτ᾽ ἀρίστους ἄνδρας ἐκκρίτους πόλεως

v. 59. 60. *ἐγγὺς γὰρ ἤδη πάνοπλος, Ἀργείων στρατὸς*
χωρεῖ, κονίει, πεδία δ᾽ ἀργηστὴς ἀφρὸς

v. 177. 178. *κεἰ μή τις ἀρχῆς τῆς ἐμῆς ἀκούσεται,*
ἀνήρ, γυνή τε, χὤ τι τῶν μεταίχμιον

v. 228. 229. καὶ μὴν ἀκούω γ' ἱππικῶν φρυαγμάτων.
μὴ νῦν ἀκούουσ' ἐμφανῶς ἄκου' ἄγαν
v. 354. 355. εἶσ' ἀρτίκολλον ἀγγέλου λόγον μαθεῖν.
σπουδῇ δὲ καὶ τοῦδ' οὐκ ἀπαρτίζει πόδα
v. 393. 394. σπαρτῶν δ' ἀπ' ἀνδρῶν, ὧν Ἄρης ἐφείσατο.
ῥίζωμ' ἀνεῖται, κάρτα δ' ἔστ' ἐγχώριος
v. 421. 422. Καπανεὺς δ' ἀπειλεῖ, δρᾶν παρεσκευασμένος
ἃ θεοὺς ἀτίζων κἀπογυμνάζων στόμα
v. 428. ἀνὴρ δ' ἐπ' αὐτῷ, κεἰ στόμαργός ἐστ' ἄγαν
v. 431. Ἀρτέμιδος εὐνοίαισι σύν τ' ἄλλοις θεοῖς.
v. 432. λέγ' ἄλλον ἄλλαις ἐν πύλαις εἰληχότα.
v. 459. ἢ καὶ δύ' ἄνδρε καὶ πόλισμ' ἐπ' ἀσπίδος.
v. 499. εἰκὸς δὲ πράξειν ἄνδρας ὧδ' ἀντιστάτας.
v. 514. ἀνδρόπαις ἀνὴρ.
v. 534. 535. Ἀρκάδα: ἀνὴρ ἄκομπος.
v. 536. Ἄκτωρ ἀδελφός.
v. 549. 550. ἄνδρα: ἀλκὴν ἄριστον Ἀμφιάρεω.
v. 576. ἀγαθοὺς ἀντηρέτας.
v. 591. 592. ἀγαθὸς ἀνήρ: ἀνοσίοισι.
v. 618. ἀτιμαστῆρα ἀνδρηλάτην.
v. 655. ἄρχοντι ἄρχων.
v. 660. ἄνδρας Ἀργείοισι.
v. 691. ἄγαν ἀληθεῖς.
v. 782. ἄναξ Ἀπόλλων.
v. 792. 793. ἀδελφαῖς ἄγαν: ἀμφιλέκτως.
v. 1013. 1014. ἀδελφὸν: ἄπιστον ἀναρχίαν.

Duos si versus attuli, videre licet locum sic comparatum esse, ut singulae voces alterius versus aut excipiant plures alterius aut eis antecedant, qua de allitterationis forma postea uberius dicemus.[1])

Exempla ad ε vocalem pertinentia sunt sex haec:

v. 13. 14. ὥραν ἔχονθ' ἕκαστον, ὥς τις ἐμπρεπής,
πόλει τ' ἀρήγειν καὶ θεῶν ἐγχωρίων

---

[1]) Conferas p. 47 sq.

v. 386. γένοιτ' ἂν ὀρθῶς ἐνδίκως τ' ἐπώνυμον.
v. 448. στείχει πρὸς ἐχθρῶν πύργον, ἐκπέρσαι θέλων.
v. 526. ἐλθὼν δ' ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην
v. 537. 538. ὃς οὐκ ἐάσει γλῶσσαν ἐργμάτων ἄτερ
ἔσω πυλῶν ῥέουσαν ἀλδαίνειν κακά.
v. 656. ἐχθρὸς σὺν ἐχθρῷ στήσομαι.

Fortasse addi possunt:

v. 563. 564. πόλιν πατρῴαν καὶ θεοὺς τοὺς ἐγγενεῖς
πορθεῖν, στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβεβληκότα.
v. 1000. εἰ μὴ θεῶν τις ἐμποδὼν ἔστη δορί.
v. 1003. στράτευμ' ἐπακτὸν ἐμβαλών, ᾕρει πόλιν.

Reliquarum vocalium ne unum quidem exstat exemplum, nisi forte versum 517 affers:

ὁ δ' ὠμόν, οὔτι παρθένων ἐπώνυμον,

cuius tamen ratio alia est, quippe cum $\bar{\omega}$ illud media in voce posita stirpem tantum modo incipiat, qua de re infra videbimus.

Neque magis versus 239:

ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπασας γένος.

huc referri potest, quia interiectio ὦ ea vi caret, ut cum altero $\bar{\omega}$, quod est in verbo ὤπασας comparari possit.

Locos in quibus vocales cum diphthongis proxime cognatis aut diphthongi inter se cognatae conveniunt, numeravi triginta duos, quorum quindecim ad $\bar{\alpha}$ vocalem diphthongosque cum $\bar{\alpha}$ compositas, totidem ad $\bar{\varepsilon}$, duo ad $\bar{o}$ vocalem spectant (nam tres praeterea a me notati ad $\overline{ov}$ vocalem patent coniunctam cum $\bar{o}$ aut $\overline{oi}$ neque eos huc referri posse crediderim).

Eandem diphthongum bis in uno versu vocem incipientem numquam inveni.

Singularem vim rhetoricam in eis, quae modo commemoravi, exemplis inesse negandum est, quadere ne numeros versuum quidem ascripsi.

Mihi quidem videtur inter omnes illas vocales aut diphthongos nullum fere vinculum intercedere nisi spiritus lenis neque vero is tantum habuit valoris, ut ars quaedam poetae

cerni possit in sonis illis cumulatis, nedum comparari queant antiquae germanicae poeseos leges certissimae cum Graecis.

Nam copia eorum versuum, in quibus sunt plures voces a spiritu leni incipientes, tanta est, ut fieri omnino non possit, ut eis omnibus eximia insit auctoritas rhetorica: numeravi enim 203 versus.

Ad certiores de omnibus huius modi quaestionibus opiniones tum demum perveniri poterit, cum in eam rem accuratissime inquisitum erit, quae sit singularum litterarum in principio non solum radicum et stirpium, sed etiam vocum ipsarum frequentia in sermone Graeco. Sed ne haec quidem distribuendae vocabulorum copiae ratio nobis faceret satis ut sciremus, quod praeberet lingua instrumentum poetae, sed ad eam notitiam perficiendam lexico synonymico opus est, quod si evolvas, uno oculorum obtutu possis cognoscere, quas voces ad certam quandam notionem exprimendam poeta eligere potuerit. Quos libros sane facilius est optare, quam scribere.

Spiritus asper, ut mihi quidem per se rarior in sermone Graeco videtur esse, ita in singulis versibus non saepe — unus et viginti sunt versus — bis positus reperitur atque plerumque ita, ut in eodem versu complures voces a spiritu leni incipientes duritiem eam, quae sine dubio inest in repetito spiritu aspero, molliant. Paucissima — quattuor — remanent exempla, quae eam duritiem neglegant, haec:

v. 258. *μήλοισιν αἱμάσσοντας ἑστίας θεῶν.*
v. 374. *ἵππος χαλινῶν δ' ὣς κατασθμαίνων βρέμει.*
v. 524. *φέρει δ' ὑφ' αὑτῇ φῶτα Καδμείων ἕνα.*
v. 781. *τὰς δ' ἑβδόμας ὁ σεμνὸς ἑβδομαγέτας.*

Horum versuum ne unus quidem talis est, ut altiore vocis sono efferi debeat nisi v. 781, cuius vis annominatione optime augetur, ut ne is quidem hic sit tractandus.

Eos quoque versus congessi, in quibus duo vocabula ab eadem vocali incipientia insint idque ita, ut unum vocabulum asperum habeat spiritum, alterum lenem et quamquam ne eis quidem magnam vim inesse puto, numeros ascripsi:

ἁ et ἀ coniunguntur in v. 50:

πρὸς ἅρμ' Ἀδράστου χερσὶν ἔστεφον, δάκρυ,

v. 470. 490. 1034.

ἀ et ἁ coniunguntur in v. 240:

μοχθηρόν, ὥσπερ ἄνδρες ὧν ἁλῷ πόλις,

v. 242. 605. 660. 998.

ἑ et ἐ coniunguntur in v. 13:

ὥραν ἔχονθ' ἕκαστον, ὥς τις ἐμπρεπής,

v. 267. 629. 1034.

ἐ et ἑ coniunguntur in v. 13:

ὥραν ἔχονθ' ἕκαστον, ὥς τις ἐμπρεπής,

v. 72. 265. 780.

ὁ et ὀ coniunguntur in v. 375:

ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὀργαίνει μένων,

ὀ et ὁ coniunguntur in v. 659:

ὀργὴν ὁμοῖος τῷ κάκιστ' αὐδωμένῳ.

Non est, quod nimis miremur, rarius vocales ansam dedisse poetae tales sonorum lusus quaerendi, quales tractamus.[1]) Nam vocalium natura primum per se levior et quasi infirmior est, quam litterarum consonantium neque tam apta ad eiusmodi artes factitandas, deinde vel eiusdem vocalis in eadem lingua tanta est varietas, quae pendet non solum ex origine, collocatione, finitimis litteris, sed etiam ex enuntiatorum sententia et verborum notione, ut non possit non difficillimum esse auribus percipere lusus vocalium, tales quales in consonis ne surdastras quidem aures fugiunt.[2])

Plane alia est ratio eorum exemplorum, in quibus sen-

---

[1]) Conferas *Naekii* de ea re verba in commentationis cuius supra mentionem feci p. 333.

[2]) Exempla talia, quale unum exstat Pers. v. 855:

παντάρκης ἀκάκας ἄμαχος βασιλεὺς ἰσόθεος
Δαρεῖος ἆρχε χώρας.

vel in carminibus choricis rarissima, in diverbiis fere nulla sunt. In Septem v. 96:

ἀκούετ' ἢ οὐκ ἀκούετ' ἀσπίδων κτύπον;

tentia ipsis vocalibus expressa videtur totorum verborum ratione non habita, quae verbo certe tangenda sunt.

Certis vocalibus magnam insitam esse soni vim constat, maxime ᾱ et ω̄ saepe repetita intra paucorum verborum spatium totum locum certo colore quodam modo inficiunt, unde aliqua ex parte certe illud explicatur, cur formas doricas in lyricis fabularum partibus poetae attici usurparint.

Sed in his quoque artis poeticae notis quatenus de poetae consiliis cogitandum sit, difficillimum erit definire propter ipsam vocalium naturam.

Ut si *Teuffelius* Aesch. Pers. 465:

Ξέρξης δ᾽ ἀνῴμωξεν κακῶν ὁρῶν βάθος

et v. 675 sq. (cf. illius editionis p. 79):

τί τάδε δυνάτα δυνάτα,
περὶ τᾷ σᾷ δίδυμα διάγοιεν ἁμάρτια
πάσᾳ γᾷ σᾷ τᾷ δ᾽ ἐξέφθινθ᾽ αἱ τρίσκαλμοι
νᾶες ἄναες ἄναες.

ibi litteras ω̄, hic ᾱ consulto a poeta cumulata esse dicit (cf. etiam v. 922 sq.), veri sane simile est, recte illum audisse et iudicasse.

Alius tamen locis, ut Pers. v. 540 (*ου*) et v. 545 (*ω*), vix equidem illius auribus assentiri velim.

Maxime vero in carminibus lyricis esse locum talibus artibus, perfacile cognoscitur[1]): in eius quam nos tractamus

optime perspicitur, quantum inter vocales et consonas sit discrimen. Nam in his versibus ᾱ ter positum vix animadverti prae quattuor illis κ̄, quae ad scutorum sonitum significandum maxime videantur idonea esse, quis negare velit non video.

[1]) Sonis musicis eas vocales elatas esse nemo negabit, qui quanti in arte musica momenti vocales sint, vel obiter cognoverit. Sed cui pronuntiandi varietati vocales obnoxiae sint in arte musica sive carminum sententias sive verborum significationem respicis, ex ipsa nostrae aetatis arte musica discere licet, praesertim e canticorum ecclesiasticorum cantatione. Quas subtilitates etiam Graecis notas fuisse, quis negare poterit? Et id semper teneatur necesse est, in eiusmodi quaestionibus nostro sensui non nimium fidei habendum esse.

fabulae diverbio certum eius rei exemplum, ut ego sentio, non inest.

Sed haec hactenus de vocalibus: ea ex his exemplis, quorum mihi videbatur aliqua auctoritas esse, eis quas postea enumeraturus sum allitterationum classibus ascripsi, quamquam semper maiorem vim esse eis, quae litteris consonantibus continentur, tenendum existimavi.

Saepe artem poetae consulto exercitam cogitandam esse nemo negabit, qui contulerit inprimis canticorum locos, quales hi sunt: Aesch. Pers. v. 861:

νόστοι δ' ἐκ πολέμων ἀπόνους, ἀπαθεῖς,
εὔφρονας εὖ πράσσοντας ἆγον οἴκους.

eiusdem fabulae v. 864:

ὅσσας δ' εἷλε πόλεις πόρον οὐ διαβὰς Ἅλυος ποταμοῖο.

Aesch. Ag. v. 233:

πέπλοισι περιπετῆ
παντὶ θυμῷ προνωπῆ.

eiusdem fabulae v. 1167:

ἰὼ πόνοι πόνοι πόλεος ὀλομένας το πᾶν,
ἰὼ πρόπυργοι θυσίαι πατρὸς
πολυκανεῖς βοτῶν ποιονόμων,

fabulae de qua agimus v. 1004 (Herm. 988):

ἰὼ ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον.

Similes eiusdem litterae quasi cumulationes rarae sunt in diverbiis: notavi duos Persarum locos: v. 681 et 682:

ὦ πιστὰ πιστῶν ἥλικες θ' ἥβης ἐμῆς
Πέρσαι γεραιοί, τίνα πόλις πονεῖ πόνον;

v. 751:

εἶχε παῖδ' ἐμόν; δέδοικα μὴ πολὺς πλούτου πόνος

Qua re differant haec exempla ab illis, de quibus supra (p. 35 sq.) disputatur, planum est: ibi poeta id operam dedisse videbatur, ut eam quam posuit litteram saepius poneret ad certum sonum efficiendum neque intererat, utrum in vocum initiis eae litterae collocarentur necne, hic id agitur, ut in vocabulorum principiis eadem littera redeat neque

interest, quae et qualis sit. Comparari tamen inter se possunt exempla, qualia Pers. 751 [1]) et Septem 581 [2]) sunt, propter imaginis insolentiam soni similitudine excusatam.

Vel ex his exemplis cognoscere licet (cf. Pers. 681, Sept. 581), ita saepius allitterationes oriri, ut lusus verborum quidam augeatur quasi eo, quod prima certe consonans rursus rediens lusus illius principem sonum revocet aut eadem praecedens aures quasi praeparet ad percipiendum lusum illum aut interposita quasi ipsi verborum lusui admisceatur.

Ac ne dicat quispiam, fieri non posse, ut vox praecedens mentem adducat ad recipiendum lusum verborum cum qui postea insequatur, quia nondum divinare possit qui audiat, tale quid esse secuturum. Hac enim in re ut haud ita raro artis dialecticae inventa veritati non respondent. Ut oculis, sic auribus quoque plures nos versus percommode simul complectimur, atque etiamsi nos litteris et scriptis et typis expressis ita assueti, ut oculorum et magis aurium vires valde debuerint hebescere, non iam complecti possimus, id quod nego, inde nequaquam consequatur, ne veteres quidem potuisse.

Talia inveni in hac quam tractamus fabula exempla sedecim quorum numeros una cum vocibus, de quibus quaestio est, afferam:

v. 6. 7. *πολὺς* (*πτόλιν*) | *πολυῤῥόθοις.*
v. 17. 18. (*πέδῳ*) | *ἅπαντα πανδοκοῦσα* (*παιδείας*)
v. 30 et proxim. (*πύλας πυργωμάτων*) | *πάντες παντευχίᾳ* (*πληροῦτε*).
v. 228 et 229. *ἀκούω* | *ἀκούουσ᾽ ἄκου᾽* (*ἄγαν*).
v. 243 et 244. (*τέλος*) | *τάχιστα τάχα* | (*τάλαινα*).
v. 353—355. (*ἄναξ*) | *ἀρτίκολλον* (*ἀγγέλου*) | *ἀπαρτίζει.*
v. 431. 432. (*Ἀρτέμιδος*) *ἄλλοις* | *ἄλλον ἄλλαις.*
v. 507. 508. *πέμπτον* | *πέμπταισι* (*προσταχθέντα πύλαις*).
v. 654. 655. (*ἄλλος*) | *ἄρχοντι ἄρχων.*

---

[1]) Conferas verba in pag. superiore.
[2]) Verba exscripta sunt in pag. 36.

v. 780. 781. (ἕξ) | ἑβδόμας ἑβδομαγέτας.
v. 786. 787. παραφρονῶ (φόβῳ) | φρονοῦσα.
v. 989. δοκοῦντα. δόξαντα | (δήμου).
v. 1005. (ταφέντ') ἀτίμως τοὐπιτίμιον | (τυμβοχόα).
v. 1011 sq. συνθάπτειν (θέλῃ) | θάψω | θάψασα.
v. 1030. 1031. τιμήσεις (τάφῳ) | (τὰ τοῦδ') δυστετίμηται.
v. 1032. 1033. (κινδύνῳ) | κακῶς κακοῖσιν.

Plerumque duobus, interdum tribus versibus contineri eos litterarum et syllabarum lusus consentaneum est: nam longiore spatio artificii vis minueretur. Eis igitur finibus omnes, de quibus agam, litterarum lusus circumscriptos esse volui. Rarissime maiores quasi turmae versuum eadem littera saepius repetita certo lumine illustrantur, de quibus locis infra dicam.

Qui eis quae modo attuli exemplis aliquam vim rhetoricam repetita eadem littera accedere senserit, concedet, Graecis non defuisse sensum eum, quo allitterationes perciperent neque vituperabit, quod meis auribus fisus indagavi exempla vel occultiora.

Ad locos eos, qui paucis versibus ante allati sunt, omnium proxime accedunt ei, quibus bina verba allitteratione, id est litterarum aequabilitate in singulis versibus coniunguntur, versu proximo autem singula verba ab eadem littera incipientia aut a) praecedunt aut
b) subsequuntur aut
c) et praecedunt et sequuntur.

De quibus locis nunc pluribus agam. Planum est sat multum interesse, quam teneant sedem in versu ea verba, de quibus quaestio est, atque maxima sane eorum vis est, quae aut primum aut ultimum locum tenent. Inprimis quo loco singula illa verba sint posita circumspiciendum erat in eis de quibus nunc disseram exemplis; id quod feci semperque apposita litterula indicavi verborum singulorum collocationem.

a) signo notavi exempla undetriginta haec: v. 15. 16:

βωμοῖσι, τιμὰς μὴ 'ξαλειφθῆναί ποτε·
τέκνοις τε, γῇ τε μητρί, φιλτάτῃ τροφῷ.

v. 22 (ultimum verbum). 23:
χρόνον γὰρ ἤδη τόνδε πυργηρουμένοις
καλῶς τὰ πλείω πόλεμος ἐκ θεῶν κυρεῖ
v. 29 (u.). 30:
νυκτηγορεῖσθαι κἀπιβουλεύειν πόλει.
ἀλλ' ἔς τ' ἐπάλξεις καὶ πύλας πυργωμάτων
v. 32 (primum verbum). 33:
πληροῦτε θωρακεῖα, κἀπὶ σέλμασιν
πύργων στάθητε, καὶ πυλῶν ἐπ' ἐξόδοις
v. 44 (u.). 45:
καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου,
Ἄρη τ', Ἐνυὼ καὶ φιλαίματον Φόβον
v. 56. 57 (cf. p. 39).
v. 59. 60. (cf. ibid.)
v. 165 (u.). 166:
στρατῷ τε θάρσος τῷδε πυργηρουμένῳ,
βρέτη πεσούσας πρὸς πολισσούχων θεῶν
v. 167 (u.). 168:
αὔειν, λακάζειν, σωφρόνων μισήματα;
μήτ' ἐν κακοῖσι μήτ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ
v. 233 (u.). 234: *πτόλιν: προδῷς πυργώματα.*
v. 263. 264: *ματαίοις: μᾶλλον μόρσιμον.*
v. 351 (pr.). 352: *πευθὼ: πομπίμους ποδῶν.*
v. 370. 371: *πανσέληνος: πρέσβιστον πρέπει.*
v. 392. 393: *ἀργὸς: ἀνδρῶν Ἄρης.*
v. 407 (pr.). 408: *πύργοις: ἐκπέρσειν*[1]) *πόλιν.*
v. 421. 422 (cf. p. 40).
v. 424 (pr.). 425: *πέμπει: πέποιθα πυρφόρον.*
v. 447 (u.). 448: *προσαμβάσεις: πύργον ἐκπέρσαι*
v. 476 (u.). 477: *κύτος: κοιλογάστορος κύκλου.*
v. 526. 527: *καπηλεύσειν: κελεύθου καταισχυνεῖ.*

---

[1]) De allitterationibus eis, quae non primis vocum syllabis continentur, infra dedita opera disseram.

v. 534 (u.). 535[1]) (cf. v. 536 quoque):
Ἀρκάδα: ἀνὴρ ἄκομπος: Ἄκτωρ ἀδελφός.
v. 563 (u.). 564[2]): ἐγγενεῖς: ἐπακτὸν ἐμβεβληκότα.
v. 574 (pr.). 575: βαθεῖαν: βλαστάνει βουλεύματα.
v. 621. 622: πατρῴας: πάγχυ Πολυνείκους.
v. 665. 666: κέρδος: κακῶν εὐκλείαν.
v. 670. 671: κάρτ': κῦμα Κωκυτοῦ.
v. 779 (u.). 780: προστάταις: πλεῖστ' πυλώμασιν.
v. 796 (u.). 797: πάρα: πόλιν πράσσουσαν.
v. 1029 (pr.). 1030: τράχυν': τιμήσεις τάφῳ.

Quamquam infra dedita opera in eam inquiretur quaestionem, qua versus sede positae sint voces eae, de quibus agatur in hac commentatione, tamen non dubitavi partem disputationis illius huc anticipare, quia percommodus transitus fit per haec exempla ab eis, quae proxime ante commemoravi, ad ea, quae postea sequentur. Breviter igitur infra haec quaestionis pars rursus attingenda erit.

Duodeciens singula verba ultimo loco, sexiens primo loco posita esse videmus. Prius genus in hoc ordine maiorem habet venustatem, quia ibi quam minimo fieri potest spatio inter se dirimuntur verba ea, ad quae lusus litterarum pertinet. Haud igitur male nos habet, quod eorum maior exstat numerus.

Ex eis exemplis, quae b) signo notavi — numero sunt viginti tria — quinque supra[3]) allata sunt haec:
v. 6. 7. (u.):
Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν
ὑμνοῖθ' ὑπ' ἀστῶν φροιμίοις πολυρρόθοις.
v. 31. 32 (pr.). — v. 244. 245. — v. 786. 787 (pr.). — v. 989. 990 (pr.).
accedunt haec:

---

[1]) Cf. pag. 40.
[2]) Cf. pag. 41.
[3]) In p. 46 et 47, ubi ex a) classe unum est exemplum v. 1032. 1033.

v. 13. 14 (u.).[1]) — v. 55. 56 (u.):

κληρουμένους δ' ἔλειπον, ὡς πάλῳ λαχων
ἕκαστος αὐτῶν πρὸς πύλας ἄγοι λόχον.

v. 171. 172:

δείσασα δ' οἴκῳ καὶ πόλει πλέον κακόν.
καὶ νῦν πολίταις τάσδε διαδρόμους φυγὰς

v. 177. 178 (pr.)[2]). — v. 237. 238:

αὐτὴ σὺ δουλοῖς καὶ σὲ καὶ πᾶσαν πόλιν
ὦ παγκρατὲς Ζεῦ, τρέψον εἰς ἐχθροὺς βέλος.

v. 376. 377:

τίν' ἀντιτάξεις τῷδε; τίς Προίτου πυλῶν
κλῄθρων λυθέντων προστατεῖν φερέγγυος;

v. 388. 389:

ἐγὼ δὲ Τυδεῖ κεδνὸν Ἀστακοῦ τόκον
τόνδ' ἀντιτάξω προστάτην πυλωμάτων.

v. 408. 409:

θεοῦ τε γὰρ θέλοντος ἐκπέρσειν πόλιν
καὶ μὴ θέλοντός φησιν, οὐδὲ τὴν Διός.

v. 415. 416:

χρυσοῖς δὲ φωνεῖ γράμμασιν Πρήσω πόλιν.
τοιῷδε φωτὶ πέμπε, τίς ξυστήσεται;

v. 514. 515 (u.):

βλάστημα καλλίπρωρον, ἀνδρόπαις ἀνήρ.
στείχει δ' ἴουλος ἄρτι διὰ παρῄδων

v. 521. 522 (pr.):

σάκει, κυκλωτῷ σώματος προβλήματι,
Σφίγγ' ὠμόσιτον προσμεμηχανημένην.

v. 537. 538[3]) (pr.). — v. 563. 564 (pr.).[3]) — v. 591. 592:

α) σώφρων, δίκαιος, ἀγαθός, εὐσεβὴς ἀνήρ,
μέγας προφήτης, ἀνοσίοισι συμμιγείς.[1])

---

[1]) Cf. pag. 40.
[2]) Cf. pag. 39.
[3]) Cf. pag. 41.

β) σώφρων, δίκαιος, ἀγαθός, εὐσεβὴς ἀνήρ,
μέγας προφήτης, ἀνοσίοισι συμμιγείς.

v. 640. 641:

τάχ' εἰσόμεσθα τἀπίσημ' ὅπῃ τελεῖ.
εἴ νιν κατάξει χρυσότευκτα γράμματα.

v. 795. 796:

αὐτὸς δ' ἀναλοῖ δῆτα δύσποτμον γένος.
τοιαῦτα χαίρειν καὶ δακρύσασθαι πάρα.

v. 1011. 1012:

ἢν μή τις ἄλλος τόνδε συνθάπτειν θέλῃ,
ἐγώ σφε θάψω, κἀνὰ κίνδυνον βαλῶ.

Septiens verbum primum, quinquiens verbum ultimum revocat sonum iam in priore versu bis auditum.

c) signo notavi locos undecim, e quibus duo iam commemorandi erant[1] hi: v. 243 (pr.). 244. 245.
v. 353. 354. 355, accedunt hi:

v. 266 (u.). 267. 268 (u.):

ἀντηρέτας ἐχθροῖσι τὸν μέγαν τρόπον
εἰς ἑπτατειχεῖς ἐξόδους τάξω μολών,
πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς τε καὶ ταχυρρόθους.

v. 360. 361. 362 (pr.):

ὁ μάντις· οὐ γὰρ σφάγια γίγνεται καλά.
Τυδεὺς δὲ μαργῶν καὶ μάχης λελιμμένος,
μεσημβριναῖς κλαγγαῖσιν ὡς δράκων, βοᾷ.

v. 394. 395. 396:

ῥίζωμ' ἀνεῖται, κάρτα δ' ἔστ' ἐγχώριος
Μελάνιππος· ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ.
Δίκη δ' ὁμαίμων κάρτα νιν προστέλλεται.

v. 475. 476. 477 (pr.):

λιγνὺν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν·
ὄφεων δὲ πλεκτάναισι περίδρομον κύτος
προσηδάφισται κοιλογάστορος κύκλου.

---

[1]) Cf. pag. 46.

v. 479. 480. 481 (pr.):

βακχᾷ πρὸς ἀλκήν, Θυιὰς ὣς φόβον βλέπων.
τοιοῦδε φωτὸς πεῖραν εὖ φυλακτέον·
φόβος γὰρ ἤδη πρὸς πύλαις κομπάζεται.

v. 569 (pr.). 570. 571:

μάντις κεκευθὼς πολεμίας ὑπὸ χθονός.
μαχώμεθ᾽· οὐκ ἄτιμον ἐλπίζω μόρον.
τοιαῦθ᾽ ὁ μάντις ἀσπίδ᾽ εὔκυκλον νέμων.

v. 649. 650. 651:

οὐδ᾽ ἐν πατρῴας μὴν χθονὸς κακουχίᾳ
οἶμαί νιν αὐτῷ νῦν παραστατεῖν πέλας,
ἢ δῆτ᾽ ἂν εἴη πανδίκως ψευδώνυμος.

v. 773. 774. 775 (pr.):

θαρσεῖτε παῖδες μητέρων τεθρυμμέναι.
πόλις πέφευγεν ἥδε δούλειον ζυγόν·
πέπτωκεν ἀνδρῶν ὀβρίμων κομπάσματα.

v. 791 (pr.). 792. 793:

ʽἄνδρες τεθνᾶσιν ἐκ χερῶν αὐτοκτόνων.
οὕτως ἀδελφαῖς χερσὶν ἠναίροντ᾽ ἄγαν.
οὐδ᾽ ἀμφιλέκτως μὴν κατεσποδημένοι.[1])

Rarius ad terna vocabula ab eodem sono incipientia accedunt in proximo versu singula eiusdem naturae:

v. 1. 2: *πολῖται* | *πρᾶγος πρύμνῃ πόλεως.*
v. 17. 18: *πέδῳ* (u.) | *ἅπαντα πανδοκοῦσα παιδείας.*
v. 70. 71: *πατρὸς* | *πόλιν πρέμνοθεν πανώλεθρον.*
v. 228. 229: *ἀκούω* | *ἀκούουσ᾽ ἄκου᾽ ἄγαν.*
v. 481. 482. 483: *πύλαις* | *πρῶτον Παλλὰς ἀγχίπτολις πύλαισι* (pr.)
v. 507. 508: *πέμπτον* | *πέμπταισι προσταχθέντα πύλαις.*
v. 549. 550: *ἄνδρα* | *ἀλκὴν ἄριστον, Ἀμφιάρεω.*
v. 580. 581: *κακῆς* (u.) | *κάκιον. καρπὸς κομιστέος.*
v. 618. 619. 620: *ἀτιμαστῆρα* | *τόνδε τίσασθαι τρόπον τοιαῦτα* (pr.).

---

[1]) Cf. p. 40.

v. 783. 784. 785: παλαιὰς πρᾶγος πόλει παρὸν | πύλις (pr.).
v. 1005. 1006: ταφέντ' ἀτίμως τοὐπιτίμιον | τυμβοχόα.
v. 1008. 1009: ἄτιμον (pr.) | τοιαῦτα τῷδε τέλει.

Exempla talia, quale est in v. 165. 166:

πυργηρουμένῳ (u.) | πεσούσας πρὸς πολισσούχων

vix huc possumus referre, quando quidem parum ponderis et auctoritatis inest in praepositionibus.

Etiam ex his exemplis nonnulla iam supra afferebantur.

Poetam in his versibus formandis vocabulisque eligendis sensui cuidam inscium serviisse eam equidem sententiam amplectendam mihi esse censebam, postquam saepius perlustravi et examinavi eos locos.

Maiorem etiam sibi libertatem indulsit poeta in constituendo ordine vocabulorum eiusdem principii, ubi ad plures patet versus illa litteras cumulandi consuetudo.

In eis exemplis quaerendis maior etiam, quam ante cautio adhibenda erat, ne nimis operae Graecorum auribus imputare videremur. Aliquam sane vim insitam esse certe his exemplis mihi persuasi. Pauca exempla quorum iam alibi mentio facta est redire nemo mirabitur.

v. 29—33: νυκτηγορεῖσθαι κἀπιβουλεύειν πόλει
ἀλλ' ἔς τ' ἐπάλξεις καὶ πύλας πυργωμάτων
ὁρμᾶσθε πάντες, σοῦσθε σὺν παντευχίᾳ,
πληροῦτε θωρακεῖα, κἀπὶ σέλμασιν
πύργων στάθητε, καὶ πυλῶν ἐπ' ἐξόδοις.

v. 69—71: ὦ Ζεῦ τε καὶ Γῆ, καὶ πολισσοῦχοι θεοί,
Ἀρά τ' Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής,
μή μοι πόλιν γε πρέμνοθεν πανώλεθρον.

v. 357—359: ὥς τ' ἐν πύλαις ἕκαστος εἴληχεν πάλον.
Τυδεὺς μὲν ἤδη πρὸς πύλαισι Προιτίσιν
βρέμει, πόρον δ' Ἰσμηνὸν οὐκ ἐᾷ περᾶν ὁ
μάντις.

v. 474—477: πυρπνόον | πυρὸς | πλεκτάναισι | περίδρομον
προσηδάφισται.

v. 534—536: Ἀρκάδα | ἀνὴρ ἄκομπος | Ἄκτωρ ἀδελφός.

v. 537—541: ἐάσει ἐργμάτων | ἔσω | εἰσαμεῖψαι ἐχθίστου εἰκὼ | ἔξωθε εἴσω.
v. 648—653: προσεῖπε | πατρῴας | παραστατεῖν πέλας πανδίκως | παντόλμῳ | πεποιθώς.
v. 773—780: παῖδες | πόλις πέφευγεν | πέπτωκεν | πόλις πολλαῖσι πληγαῖς | πύργος πύλας | προστάταις πλεῖστ' πυλώμασιν.
v. 797—799: ἐπιστάται | στρατηγῷ σφυρηλάτῳ | Σκύθῃ σιδήρῳ.

Longe maximum eorum locorum numerum in littera π repetita versari ante oculos positum est quod quomodo explicari possit nescio.[1])

Extremum exemplum non simplices litteras consonas exhibet coniunctas, sed compositas ex pluribus. Ne hi quidem loci omitti posse videbantur, praesertim quod attinet ad σ litteram. Simplicis σ bis positi quattuor tantum exempla exstant, ne ea quidem nimiae auctoritatis:

v. 215: σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν.
v. 363. 364: Οἰκλείδην σοφὸν | σαίνειν μόρον.
v. 370: πανσέληνος ἐν μέσῳ σάκει.
v, 591: σώφρων, δίκαιος, ἀγαθός, εὐσεβὴς ἀνήρ.

Compositi sigma ut ita dicam novem leguntur exempla:

v. 36: σκ : στρ (primum et ultimum verbum):
σκοποὺς δὲ κἀγὼ καὶ κατοπτῆρας στρατοῦ.
v. 40: σ : στρ:
ἥκω σαφῆ τἀκεῖθεν ἐκ στρατοῦ φέρων.
v. 43: σφ : σ (ultimum verbum):
ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος.
v. 410: σκ : σχ (ultimum verbum):
Ἔριν πέδῳ σκήψασαν ἐμποδὼν σχεθεῖν.
v. 446: σχ : σμ:
ἐσχημάτισται δ' ἀσπὶς οὐ σμικρὸν τρόπον.

---

[1]) Cf. p. 75.

v. 455: σπ : σπ:

Μεγαρεὺς, Κρέοντος σπέρμα, τοῦ σπαρτῶν γένους.

v. 521. 522: σ : σ |; σφ (duo verba prima)[1]).

v. 566: σ : σπ:

πατρίς τε γαῖα, σῆς ὑπὸ σπουδῆς δορί.

v. 785: σ : σπ:

πόλις σέσωσται· βασιλέοιν δ' ὁμοσπόροιν.

v. 797—799: στ |: στρ : σφ |: σκ : σ:

. . . οἱ δ' ἐπιστάται
δισσὼ στρατηγὼ διέλαχον σφυρηλάτῳ
Σκύθῃ σιδήρῳ . . .

Quoniam apertum est praevalere semper sonum prioris ex duabus litteris, quae vocem incipiant, his igitur locis $\overline{\sigma}$ litterae sonum eas quae sequantur superare, eam regulam in aliis quoque consonis recte sequi mihi videbar, ut prioris tantum partis rationem haberem. Modo hanc modo illam modo utramque consonam considerandam esse praeter *Kirchhoffium* nemo cuiquam audeat persuadere.

Litteras eas, quae prorsus coaluere ex duabus aliis, $\overline{\zeta}$, $\overline{\xi}$, $\overline{\psi}$, neque ad $\overline{\delta}$, $\overline{\varkappa}$, $\overline{\pi}$ neque ad $\overline{\sigma}$ referri poterant. Suo loco commemorabo unicum quod exstat litterae $\overline{\xi}$ exemplum.

Quid esset iudicandum de vocabulis eis, quae aut ex pluribus stirpibus composita aut syllabis praefixis, sive praepositionibus sive augmento sive reduplicatione aucta ad eas, de quibus quaestio est artibus arcesserentur, iam supra breviter indicavi. Quamquam vero quod ibi dixi, in universum recte se habere censeo, tamen discrimen esse faciendum intellexi inter ea vocabula, quorum partibus singulis sua inest vis et notio et formas eas, quarum significatio syllabis additiciis paullulum immutatur. Id maxime cadit in *verbi* formas augmento praeditas, quarum littera prima vix umquam

---

[1]) Cf. pag. 50.

singulari vocis contentione pronuntianda est, id quod in ε littera fieri omnino posse equidem negaverim.

De reduplicationibus raro exsistit dubitatio, quia aut eadem atque stirpis ipsius littera prima repetita est aut illius simillima.

Maioris iam esse momenti praepositiones facile concedetur, sat magnam in α quod privativum dicitur auctoritatem inesse per se patet: quamobrem ea quae huc pertinebant exempla commemoranda esse existimabam.

Quod in compositis legitimis pars prior eiusque sonus saepissime superat partem posteriorem, nemo mirabitur, qui quam consuetudinem Graeci in componendis vocabulis secuti sint, perspectum habebit. Ceterum vocis alicuius principium semper facilius auribus percipitur, quam reliquae illius litterae illiusque sonus magis menti inhaeret, quam reliquarum.

Tres igitur classes allitterationum ad voces compositas spectantium esse volui: primam earum vocum, in quarum priore parte contineatur litterarum lusus, alteram earum, quarum posterioris partis littera prima redeat, tertiam earum, quarum ad utramque partem allitteratio pertineat.

Binae vel ternae primae classis voces coniunguntur his locis:

v. 13. 14. *ἐμπρεπὴς : ἐγχωρίων.*
v. 254. 255. *πολισσούχοις : πεδιονόμοις.*
v. 386. *ἐνδίκως ἐπώνυμον.*[1])
v. 412. 413. *προσήκασεν : πυρφόρον.*
v. 422. *ἀτίζων : ἀπογυμνάζων.*
v. 429. 430. *Πολυφόντου : προστατηρίας.*
v. 489. 490. 491. *ξυνήγαγεν : ξυστήσεται : ξυνοίσετον.*

[1]) Quamquam et hoc et nonnulla alia ex his exemplis, praesertim ex eis, quae vocali bis posita continentur, non tantum habent valoris, ut allitteratio aliquid valere ad sententiam videatur, tamen ne ea quidem omittere volui, ut exemplorum numerum integrum proponerem. In eorum numero habeo: v. 13. 14. — v. 386. — v. 422. — v. 563. 564. — v. 1003.

v. 521. 522. προβλήματι : προσμεμηχανημένην.
v. 563. 564. ἐγγενεῖς : ἐπακτὸν : ἐμβεβληκότα.
v. 613. 614. κασίγνητον : κατεύχεται.
v. 618. ἀτιμαστῆρα : ἀνδρηλάτην.
v. 651. 652. πανδίκως : παντόλμῳ.
v. 774. 775. πέφευγεν : πέπτωκεν.
v. 1003. ἐπακτὸν : ἐμβαλὼν (cf. v. 563. 564).
v. 1014. ἄπιστον : ἀναρχίαν.
v. 1039. αὐτόβουλος : ἀπεννέπω.

Singulae voces compositae cum singulis vel pluribus simplicibus ita coniunguntur, ut priorum illarum redeat principium, his locis (voces compositas exscribere satis erit):

v. 69. πολισσοῦχοι.
v. 71. πανώλεθρον.
v. 73. ἐφεστίους.
v. 166. πολισσούχων.
v. 207. πειθαρχία.[1]
v. 234. προδῷς.
v. 238. παγκρατές.
v. 241. παλινστομεῖς.
v. 242. ἀψυχίᾳ.
v. 251. εὐμενῆ.
v. 259. ἐπεύχομαι.
v. 261. δουρίπηχθ'.
v. 362. μεσημβρινός.
v. 389. προστάτης.
v. 420. κατήγορος.
v. 425. πυρφόρον.
v. 430. φερέγγυον.
v. 441. προσβαλεῖν.
v. 451. φερέγγυον.
v. 468. παρίσταται.
v. 474. πυρπνόον.
v. 476. περίδρομον.
v. 477. προσηδάφισται.
v. 477. κοιλογάστορος.
v. 484. δύσχιμος.
v. 492. πυρπνόον.
v. 508. προσταχθέντα.
v. 518. προσίσταται.
v. 527. καταισχυνεῖ.
v. 535. ἄκομπος.
v. 539. εἰσαμεῖψαι.
v. 576. ἀντηρέτας.
v. 579. δυσσεβεστάτοις.
v. 587. ἀμνήμοσιν.
v. 589. πάγκοινος.
v. 592. ἀνόσιος.
v. 596. προσβαλεῖν.
v. 648. προσεῖπε.
v. 650. παραστατεῖν.
v. 655. κασίγνητος.
v. 657. προβλήματα.
v. 662. αὐτοκτόνος.

[1] Cf. pag. 58.

v. 778. φεφέγγυον.
v. 791. αὐτοκτόνος.
v. 793. ἀμφιλέκτως.
v. 795. δύσποτμος.
v. 798. σφυρήλατος.
v. 798. διέλαχον.
v. 990. πρόβουλος.
v. 991. εὔνοια.
v. 1007. ὀξύμολπος.
v. 1015. πεφύκαμεν.

In tribus ex his 16 et 51 exemplis ᾱ coniuncta est cum ᾱυ (v. 1039, v. 662, v. 791), in uno ε̄ vocalis cum ε̄υ diphthongo (v. 991). Sed tria illa maiore vi rhetorica elata sunt, quam quae silentio praeterire liceat, ne hoc quidem in verbis levibus versatur.

In vocabulis compositis eis, quibus praefixa sunt sive praepositio sive adverbium sive alia vox apta ad illarum notionem accuratius definiendam parti primitivae suam remanere vim aut non nimis minui planum est. Optime igitur cogitari potest, ad sententiam augendam occasione data eius primam litteram, quamvis non sit in vocis initio posita, repeti in alterius vocabuli principio. Maxime in formis a *verbo* aliquo derivatis potius male nos haberet, si prima littera maiorem quam stirps ipsa vim habere videretur. Exemplorum huc spectantium magnam esse varietatem ex vocum ipsarum natura consequitur: numeros versuum sequens ea enumerabo:

v. 18. ἅπαντα (πανδοκοῦσα).
v. 37. ἔπεμψα (πέποιθα).
v. 43. ταυροσφαγοῦντες (σάκος).
v. 52. σιδηρόφρων (φλέγων).
v. 55. ἔλειπον (λαχών).
v. 201. ἐκλείπειν (λόγος).
v. 207. (πειθαρχία) εὐπραξίας.
v. 267. ἐπτατειχεῖς (τάξω).
v. 389. ἀντιτάξω.[1])
v. 403. (τούτῳ οὕτως) εὐτυχεῖν.

[1]) Cf. pag. 50.

v. 408. ἐκπέρσειν (πόλιν).
v. 428. (ἀνὴρ) στόμαργος. (ἄγαν).
v. 482. (Παλλὰς ἀγχίπτολις.
v. 514. καλλίπρωρον : ἀνδρόπαις.[1]
v. 517. (ὠμὸν) ἐπώνυμον.
v. 591. (σώφρων) εὐσεβής.
v. 666. (κακῶν) εὐκλείαν.
v. 773. (θαρσεῖτε) τεθρυμμένα.
v. 778. 779. (φερεγγύοις) ἐφραξάμεσθα.
v. 785. (σέσωσται) ὁμοσπόροιν.
v. 786. παραφρονῶ (φόβῳ).
v. 797. ἐπιστάται (στρατηγῷ).
v. 801. (πατρὸς) δυσπότμους).
v. 997. Πολυνείκους (νεκρόν).
v. 1005. (ταφέντ') ἀτίμως τοὐπιτίμιον.
v. 1006. τυμβοχόα (χειρώματα).
v. 1008. 1009. ἄτιμον (τοιαῦτα).[2]
v. 1011. συνθάπτειν (θέλῃ).

Non omnes voces compositas aptas esse, quas vel hoc vel illo modo poeta inserat in talem quasi concentum litterarum, planum est.

Longe saepissime vocum compositarum ratio eadem est atque simplicium, id est primae litterae ratio habetur — undeseptuaginta numerabamus exempla —: rarius stirpis prima littera quamquam in mediis vocibus posita redit — viciens septiens —: rarius etiam — deciens — utriusque partis principium repetitur, uti in versibus 10 et 11:

... *καὶ τὸν ἐλλείποντ' ἔτι*
ἥβης ἀκμαίας καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ

vocis *ἔξηβον* principium aperte respondet ei quod ante est *ἐλλείποντα,* posterior pars repetit vocis *ἥβης* notionem.

Ordinem verborum non semper eum esse, ut voces sim-

---

[1]) Cf. pag. 32 et 60.
[2]) Cf. pag. 53.

plices praecedant, compositae sequantur, sed potius summam adhiberi varietatem cognoscere licet ex exemplis reliquis:

v. 370. *πανσέληνος* (*σάκει. πρέσβιστον. πρέπει*).
v. 410. *ἐμποδὼν* (*Ἔριν. πέδῳ*).
v. 447. *προσαμβάσεις* (*ἀνὴρ. πύργον*).
v. 448. *ἐκπέρσαι* (*ἐχθρῶν. πύργον*).
v. 514. *ἀνδρόπαις* (*καλλίπρωρον. ἀνήρ*).
v. 533. *πανώλεις* (*παγκάκως. ὀλοίατο*).
v. 634. *θεομανὲς* (*θεῶν. μέγα*).
v. 781. *ἑβδομαγέτας* (*ἑβδόμας. ἄναξ Ἀπόλλων*).
v. 1014. *ἄπιστον* (*ἀναρχίαν. πόλει*).

Haec habui quae de vocabulis compositis adhibitis in allitterationibus efficiendis dicerem.

Iam supra intelleximus, multum interesse, qua sint in sede versus positae voces eae, quae quasi concinant.[1])

Atque illud in primis pro certo accipi debet, eo quod spatium modicum interiectum sit inter voces ab eadem littera incipientes, non modo non minui verborum auctoritatem et vim rhetoricam, sed effici demum et augeri. Facilius enim percipitur soni aequalitas distributa quasi in plures locos, quos coniungendos esse pronuntiantis voce indicatur, quam cumulata in unum locum, quae ut ostendatur singulari histrionis arte opus est: nam post singulas voces recitantis vox paullulum quiescat necesse est aut periculum est ne vocis sonus propius ad cantum, quam ad sermonem accedat. Talibus igitur verborum consociationibus, qualis est in v. 988:

ἰὼ ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον

non tam in diverbio locum esse, quam in carminibus apertum est, quia varietas sonorum musicorum tanta est, ut eis facile ostendi possit talis loci natura.

---

[1]) Conferas pag. 47 et proximas.

Sed etiam in ipso diverbio sat longe distant inter se loci qualis est v. 1:

Κάδμου πολῖται, χρὴ λέγειν τὰ καίρια

et tales qualis est v. 57:

πρὸς ταῦτ' ἀρίστους ἄνδρας ἐκκρίτους πόλεως.

Nam ipsis disiunctis sonis in priore exemplo (*Κάδμου — καίρια*) versus venustas non minimum augetur, cum in vocibus *ἀρίστους ἄνδρας* nihil insit, quod aliqua delectatione nos afficiat.

Et primae et ultimae uniuscuiusque versus voci aliquanto altiorem sonum tribui nemo negat: nam eo quod in versus initio vocem tollimus, in versus exitu paullulum remittimus, unum idemque efficitur, ut verborum in his versuum sedibus positorum sonus firmius quasi auribus et menti inhaereat.

Itaque operae pretium mihi esse videbatur inquirere

I. primum, quot versus in primo et extremo quoque verbo concinant.

II. III. deinde quotiens accidat, ut aut bina prima aut bina extrema versuum sese excipientium verba ab eadem incipiant littera.

IV. aut omnino in eadem sede binorum versuum continuorum eadem littera in initio vocabuli ponatur.

V. Neque magis mihi supervacaneum esse videbatur quaerere, quotiens fiat, ut extrema alterius versus vox excipiatur prima proximi versus voce eandem litteram primam exhibente.

VI. Atque cum viderem, hoc quoque saepius usu venire, ut aut primae vocis littera incipiens revocetur alia voce intra versus spatium posita aut

VII. vocis intra versus spatium positae littera incipiens iterum auribus occurrat in eiusdem versus voce extrema, ne ea quidem exempla neglegenda existimavi.

VIII. His septem classibus octavam addo eorum locorum, in quibus bina allitterationum paria in singulis insunt versibus

aut in formulam a a b b
aut - - a b a b
aut - - a b b a

redacta. Quos locos rarissimos esse facile suspicatus sis.

IX. Nono denique loco eos versus afferam, qui ter eandem singuli litteram exhibent in verborum initiis.

I. Primi ordinis duodeviginti sunt exempla haec:

v. 1. *Κάδμου πολῖται, χρὴ λέγειν τὰ καίρια.*
v. 16. *τέκνοις τε, γῇ τε μητρὶ, φιλτάτῃ τροφῷ.*
v. 23. *καλῶς τὰ πλείω πόλεμος ἐκ θεῶν κυρεῖ.*
v. 36. *σκοποὺς δὲ κἀγὼ καὶ κατοπτῆρας στρατοῦ.*
v. 207. *πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας.* [1])
v. 371. — v. 425. — v. 428. — v. 471. — v. 479. — v. 482. — v. 508. — v. 542. — v. 570. — v. 579. — v. 581. — v. 640. — v. 773.

Ea exempla, in quibus vocales et diphthongi proxime illarum cognatae inter se respondere videntur, ut

v. 68. *εἰδὼς τὰ τῶν θύραθεν ἀβλαβὴς ἔσει.*
v. 478. *αὐτὸς δ' ἐπηλάλαξεν, ἔνθεος δ' Ἄρει.*
v. 662. *ἀνδροῖν δ' ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ' αὐτοκτόνος.*
v. 791. *ἄνδρες τεθνᾶσιν ἐκ χερῶν αὐτοκτόνων.*

promiscue cum ceteris proferre nolui, quia discrepantia sat magna intercedit inter illa et haec. Eam semper normam sequar, ut de his locis separatim dicam.

II. Bina, raro plura prima verba concinunt viciens his locis:

---

[1]) Eiusmodi locos huc referri posse censebam, quando quidem posterior pars vocis compositae — *εὐπραξίας* fere extremi in versu verbi partes obtinet. Prorsus aliter iudicandum esse de v. 52 et similibus

σιδηρόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρείᾳ φλέγων

luce clarius est. Cf. v. 482 et 773.

v. 4. 5 (6?). εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεοῦ·
εἰ δ' αὖθ', ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι,
Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν . .
v. 32. 33. πληροῦτε θωρακεῖα, κἀπὶ σέλμασιν
πύργων στάθητε, καὶ πυλῶν ἐπ' ἐξόδοις.
v. 60. 61. χωρεῖ, κονίει πεδία δ' ἀργηστὴς ἀφρὸς
χραίνει σταλαγμοῖς ἱππικῶν ἐκ πνευμόνων.
v. 238. 239. ὦ παγκρατὲς Ζεῦ : ὦ Ζεῦ.
v. 245. 246. σίγησον : σιγῶ.
v. 424. 425. πέμπει : πέποιθα.
v. 482. 483. — v. 498. 499. — v. 521. 522. — v. 535. 536. — v. 563. 564. — v. 569. 570. — v. 595. 596. — v. 634. 635. 636. — v. 646. 647. — v. 774. 775. 776. 777. — v. 989. 990. — v. 1026. 1027. — v. 1028. 1029. — v. 1036. 1037.

Accedunt sex loci similitudinem tantum soni exhibentes:

v. 41. 42. αὐτὸς : ἄνδρες.
v. 428. 429. ἀνὴρ : αἴθων.
v. 540. 541. εἰκὼ : ἔξωθε.
v. 641—644. εἴ : ἐπ' : εἰ : ἔργοις.
v. 654. 655. αὐτὸς : ἄρχοντι.
v. 664. 665. εἴπερ : ἔστω.

Grammatico aut rhetorico saepe vinculo tenentur et colligantur ea verba, quae in versuum initiis posita sunt, ita ut enuntiationis partes inter se respondentes ab eodem sono incipiant.

Conferas v. 4. 5. — v. 245. 246. — v. 634. 636. — v. 641—644, ubi luculentissime distinctionem partium grammaticarum apparet iuvari simili sono iterato. Extremi exempli verba apponam:

εἴ νιν κατάξει χρυσότευκτα γράμματα
ἐπ' ἀσπίδος φλύοντα σὺν φοίτῳ φρενῶν
εἰ δ' ἡ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη παρῆν
ἔργοις ἐκείνου καὶ φρεσίν, τάχ' ἂν τόδ' ἦν.

III. Bina, raro plura verba extrema versuum concinunt his locis:

v. 6. 7. Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν
ὑμνοῖθ' ὑπ' ἀστῶν φροιμίοις πολυρρόθοις.
v. 13. 14. ὥραν ἔχονθ' ἕκαστον, ὥς τις ἐμπρεπής,
πόλει τ' ἀρήγειν καὶ θεῶν ἐγχωρίων.
v. 29. 30. 31. πόλει : πυργωμάτων : παντευχίᾳ.
v. 33. 34. ἐπ' ἐξόδοις : ἐπηλύδων.
v. 44. 45. καὶ θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου,
Ἄρη δ', Ἐνυὼ καὶ φιλαίματον Φόβον
v. 49. 50. δόμους : δάκρυ.
v. 55. 56. λαχὼν : λόχον.
v. 168. 169. φίλῃ : φυτῷ.
v. 233. 234. — v. 235. 236. — v. 259. 260. — v. 357. 358. 359. — v. 393. 394. — v. 412. 413. — v. 438. 439. — v. 475. 476. 477. — v. 489. 490. — v. 518. 519. — v. 521. 522. — v. 563. 564. — v. 565. 566. — v. 568. 569. — v. 580. 581. — v. 587. 588. — v. 612. 613. — v. 775. 776. — v. 779. 780. — v. 789. 790. — v. 1014. 1015. 1016. — v. 1023. 1024.

Praeter haec triginta exempla secundo loco nominarim
v. 178. 180 (conferas etiam 179. 181).
v. 443. 445 (conferas etiam v. 444. 446).

Nam ibi quoque sonum eundem, ubi post interpositum demum versum redit, vix his locis potuisse effugere aures attentas equidem contenderim, quia posteriore loco idem verbum (*τρόπον*, v. 444. 446) bis legitur, priore loco eiusdem verbi duae formae (*βουλεύσεται, βουλευέτω*, v. 179. 181) scriptae sunt, quibus rebus lusus haud paullum adiuvatur. Ex his exemplis eorum singularis vis est, quae binis verbis continentur eundem syllabarum numerum exhibentibus.[1])

IV. In recitandis versibus histrio ita versari debuit, ut primo loco et verba singula et tota enuntiata tam distincte

---

[1]) Cf. p. 66.

pronuntiaret, ut quid sibi vellet poeta, dubitatio nulla exsistere posset, secundo loco numeros versuum vocis modulatione exprimeret. Male recitantium esse prae aequo numerorum gradu vim verborum neglegere notissimum est eis, qui discipulorum primis demum rei metricae elementis imbutorum exercitiis interfuerunt. Tamen qui numeros negleget, vix minus laedet sensum hominum eruditorum. In bene miscendis communiterque adhibendis duabus illis legibus saepissime res sibi repugnantes postulantibus ars recte recitandi posita est. — In eis de quibus nunc dicturus sum exemplis tale periculum non est: nam voces ad sententiam formandam sat graves, quae ab eadem littera incipiunt, in eadem binorum sese excipientium versuum sede collocatas quasi cogere recitantis vocem, ut in eis syllabis commoretur vi quadam elatis, id quibus de causis quis negare velit, non video.

Principem in eis exemplis locum obtinent ea, quae ad syllabas ictu metrico ornatas spectant, ut:

v. 10. 11. *ὑμᾶς δὲ χρὴ νῦν, καὶ τὸν ἐλλείποντ᾽ ἔτι*
ἥβης ἀκμαίας, καὶ τὸν ἔξηβον χρόνῳ.
v. 59. 60. *ἐγγὺς γὰρ ἤδη πάνοπλος Ἀργείων στρατὸς*
χωρεῖ, κονίει, πεδία δ᾽ ἀργηστὴς ἀφρός.[1])
v. 70. 71. *Ἀρά δ᾽ Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής.*
μή μοι πόλιν γε πρέμνοθεν πανώλεθρον.
v. 250. 251. *κἀμῶν ἀκούσασ᾽ εὐγμάτων, ἔπειτα σὺ*
ὀλολυγμὸν ἱερὸν εὐμενῆ παιάνισον.
v. 392. 393. — v. 415. 416. — v. 429. 430. — v. 491. 492. — v. 591. 592. 593. — (v. 632. 633, *ἀ : αὐ.*) — v. 670. 671. — (v. 698, 699, *ἀ : αὐ.*) — v. 777. 778.

Praeter haec exempla — tredecim sunt numero — huc cadunt omnia ea, quae iam secundae classi (II, p. 63) ascripsi viginti sex exempla, pars tertiae classis (cf. p. 64), quae in memoriam revocare liceat:

v. 30. 31. *πυργωμάτων : παντευχίᾳ.*

---

[2]) Eo in exemplo prima syllaba integra redit.

v. 33. 34. ἐπ' ἐξόδοις : ἐπηλύδων.
v. *49. 50.* δόμους : δάκρυ. — v. *55. 56.* λαχὼν : λόχον.
v. *168. 169.* φίλῃ : φυτῷ.
v. 259. 260. — v. 393. 394. — v. *438. 439.* — v. *475. 476. 477.* — v. 489. 490. — v. *565. 566.* — v. 587. 588. v. *612. 613.* — v. 775. 776. — v. *789. 790.*

Dimidia pars eorum exemplorum, quae litteris cursivis significavi, ad voces bisyllabas spectant, reliqua ad voces quaternarum syllabarum.

Addenda sunt tertio vel potius quarto loco exempla ea, quae ad voces in mediis versibus positas et ne ictu quidem metrico elatas spectant — duodeviginti sunt numero —:

v. *181. 182.* μέλει γὰρ ἀνδρί, μὴ γυνὴ βουλευέτω,
τἄξωθεν· ἔνδον δ' οὖσα μὴ βλάβην τίθει.
v. *227. 228.* τούτῳ γὰρ Ἄρης βόσκεται, φόνῳ βροτῶν.
καὶ μὴν ἀκούω γ' ἱππικῶν φρυαγμάτων.
v. 228. 229. ἀκούω : ἀκούουσ'.
v. 244. 245. τάχιστα : τάλαινα.
v. 368. 369. — v. 420—422. — v. *447. 448.* — v. *467. 468.* — v. *479. 480.* — v. 526. 527. — v. 529. 530. — v. 535. 536. — v. 613. 614. — v. 648. 649. — v. 654. 655. — v. 1013. 1014. — v. 1017. 1018. — v. *1024. 1025.*

Quae exempla typis cursivis expressi, in priore binarum vocum disyllabarum, quae versum finiunt, revocant principium extremae proximi versus vocis, quae ex quattuor constat syllabis.

Omnia quae huic classi adnumeranda erant exempla, sunt 72.

V. Sonus quem in ultimi versuum quorundam verbi initio modo audieramus, redit in primo quoque proximi versus verbo viciens septiens:

v. 31. exit in παντευχίᾳ. — v. 32. incipit a πληροῦτε. —
v. 51. στόμα. — v. 52. σιδηρόφρων. — v. 57. πόλεως.
v. 58. πυλῶν. — v. 73. ἐφεστίους. — v. 74. ἐλευθέραν.
v. 164. σωτήρια. — v. 165. στρατῷ.
v. 167. 168. — v. 177. 178. — v. 180. 181. — v. 240.

241. — v. 241. 242. — v. 363. 364. — v. 381. 382. — v. 388. 389. — v. 420. 421. — v. 480. 481. — v. 482. 483. — v. 490. 491. — v. 500. 501. — v. 526. 527. — v. 527. 528. — v. 534. 535. — v. 580. 581. — v. 619. 620. — v. 699. 700. — v. 784. 785. — v. 796. 797. — v. 798. 799.

VI. Ex exemplis supra allatis nobis apparuit, saepe in primo et extremo quoque versus verbo eundem audiri sonum atque sat magnam in eis inesse exemplis delectationem mihi constat. Sed non semper utraque vox allitterationem efficiens principalem tenet in versu locum.

Eorum exemplorum, in quibus altera vox sola loco ipso, quo posita est in versu, effertur quodam modo, duo esse genera facile perspicitur: aut primi verbi principium repetitur alio quodam versus vocabulo aut littera semel in cuiusvis vocabuli principio audita — praeter primum — iteratur extremo verbo.

Prioris generis inveni locos 31 hos:

v. 33. *πύργων στάθητε, καὶ πυλῶν ἐπ' ἐξόδοις.*
v. 199. *πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.*
v. 215. *σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν καὶ μένειν εἴσω δόμων.*
v. 365. *τοιαῦτ' ἀϋτῶν τρεῖς κατασκίους λόφους.*
v. 376. *τίν' ἀντιτάξεις τῷδε; τίς Προίτου πυλῶν.*
v. 410. *Ἔριν : ἐμποδών.* — v. 417. *τίς : τρέσας.*
v. 431. — v. 441. — v. 486. — v. 508. — v. 526. — v. 535. — v. 536. — v. 543. — v. 550. — v. 563. — v. 582. — v. 589. — v. 655. — v. 656. — v. 666. — v. 774. — v. 777. — v. 782. — v. 797. — v. 798. — v. 799. — v. 801. — v. 989. — v. 1005.

Addi fortasse possunt: v. 18 (*ἅπαντα πανδοκοῦσα*), v. 37 (*ἔπεμψα : πέποιθα*), v. 446 (*ἐσχημάτισται : σμικρόν*), v. 634 (*ὦ θεομανὲς : θεῶν*), v. 995 (*τέθνηκεν : θνήσκειν*). — Nam in eis locis prima syllaba tam levis est, ut fugaci quodam modo sono tangat aures, vocis vis autem paene omnis servetur syllabae alteri.

5*

VII. Posterioris generis longe plura exstant exempla, id quod inde explicari posse existimo, quod in versuum exitu ut vocis sonus intermittitur, sic aurium iudicium maxime nititur extremi verbi sono. Eadem est causa, cur gentes Romanae et post eos nos ipsi rimis delectemur, quod rimis voci occasio datur, ut per exiguum temporis momentum quiescat. Simile quid omnibus temporibus in versuum exitu homines sensisse mihi quidem persuasissimum est.[1]) Qua de re mirari non possumus, quod in exitu versuum potissimum saepe tales litterarum lusus conspicimus. Ea est versuum pars, ubi minime timendum erat poetae ne aures posset effugere talis lusus.

v. 2. *ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως.*
v. 6. *Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς κατὰ πτόλιν.*
v. 13. *ὥραν ἔχονθ' ἕκαστον, ὥς τις ἐμπρεπής.*
v. 30. *ἀλλ' ἔς τ' ἐπάλξεις καὶ πύλας πυργωμάτων.*
v. 31. *ὁρμᾶσθε πάντες, σοῦσθε σὺν παντευχίᾳ.*
v. 43. *ταυροσφαγοῦντες ἐς μελάνδετον σάκος.*
v. 45. *φιλαίματον Φόβον.* — v. 48. *φυράσειν φόνῳ.*

v. 52. — v. 55. — v. 58. — v. 60. — v. 63. — v. 71. — v. 177. — v. 192. — v. 201. — v. 206. — v. 214. — v. 227. — v. 229. — v. 234. — v. 237. — v. 239. — v. 245. — v. 253. — v. 261. — v. 264. — v. 265. — v. 351. — v. 352. — v. 357. — v. 358. — v. 359. — v. 370. — v. 376. — v. 380. — v. 386. — v. 388. — v. 389. — v. 395. — v. 408. — v. 410. — v. 415. — v. 418. — v. 443. — v. 445. — v. 451. — v. 459. — v. 477. — v. 480. — v. 484. — v. 499. — v. 514. — v. 517. — v. 528. — v. 552. — v. 564. — v. 575. — v. 576. — v. 591. — v. 594. — v. 596. — v. 618. — v. 619. — v. 642. — v. 643. — v. 650. — v. 652. — v. 655. — v. 657. — v. 780. — v. 781. — v. 784. —

[1]) Cf. pag. 12 et proximas.

v. 792. — v. 798. — v. 990. — v. 1011. — v. 1017. — v. 1030.

Ad haec unum et octoginta exempla facile addi possunt alia simillima, ut v. 785, quo in versu vocis *ὁμοσπόροιν* secunda pars sat magnam vim habere videtur, ut possit allitterationem efficere, v. 997 et v. 1014 contraria quodam modo exempla ei, quod modo attulimus,[1]) alia, ut v. 1007 (*ὁ : οἱ*), v. 1013 (*ἁ : αἱ*), alia eius generis. Sed eorum omnium cum iam aliis locis mentio sit facta, transeundum videtur ad classem octavam.

VIII. Tripartitum igitur instituimus horum exemplorum ordinem:

1) Formulam a a b b sequuntur:

v. 376. *τίν' ἀντιτάξεις τῷδε; τίς Προίτου πυλῶν.*
Und wer soll wehren ihm? an Proetus Pforte wer -

v. 408. *θεοῦ τε γὰρ θέλοντος ἐκπέρσειν πόλιν —*
Die Stadt zerstöre er, mög Gott es gönnen ihm —

v. 655. *ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις.*

In primo exemplo syllabis *τάξ* in *ἀντιτάξεις* et *τω* in *τῷδε* maximam vim attribuendam esse intellegitur, earumque sonum opponi illi *Προίτου πυλῶν* arbitror. — In exemplo extremo quamquam non litterarum solum, sed verborum lusus inest, tamen nolui omittere propterea quod in eo formula ipsa optime potest perspici.

2) Formulam a b a b quinque versus repraesentant:

v. 410. *Ἔριν πέδῳ σκήψασαν ἐμποδὼν σχεθεῖν*
Und käm die Eris selbst zum Kampf, nicht Einhalt soll Sie thun. —
(Rectius formulam a b c a b c esse huius versus dixerim.)

v. 448. *στείχει πρὸς ἐχθρῶν πύργον, ἐκπέρσαι θέλων*
Er steigt zum Feindeswall; denn stürzen will er ihn.

v. 594. *τείνουσι πομπὴν τὴν μακρὰν πάλιν μολεῖν.*
Zu langer Fahrt sie ziehn ihn fort zum zweiten mal.

---

[1]) Cf. pag. 59 et 60.

v. 634. ὦ θεομανές τε καὶ θεῶν μέγα στύγος.
O weh! der Götter Wuth und grimmer Hass!
v. 1014. ἔχουσ' ἄπιστον τήνδ' ἀναρχίαν πόλει.
Es fordert Ungebühr, ich folg nicht dem Gebot.

3) Formulam a b b a bis tantum usurpatam inveni:
v. 23. καλῶς τὰ πλεῖω πόλεμος ἐκ θεῶν κυρεῖ.
(Seither ging die Belagerung, dass jetzt der Stand)
Des Krieges doch — Gott Lob! — noch leidlich heissen kann.
v. 418. καὶ τῷδε κέρδει κέρδος ἄλλο τίκτεται.
O hohler Wahn! er wähnt ihn uns zum Heile nur!

Difficile sane est talia litterarum artificia facere, difficilius facta imitari neque semper contingit, ut litteras litteris reddere possimus.

IX. Eorum locorum, qui in hunc ordinem quadrant, maxima pars iam supra (p. 52 et 53) proposita est, quos hic repetere non licet. Addenda videntur haec exempla, quae supra afferri non debebant:

v. 63. φράξει πόλισμα, πρὶν καταιγίσαι πνοάς.
v. 428. ἀνὴρ δ' ἐπ' αὐτῷ κεὶ στόμαργός ἐστ' ἄγαν.
v. 642. ἐπ' ἀσπίδος φλύοντα σὺν φοίτῳ φρενῶν.
v. 643. εἰ δ' ἡ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη παρῆν.
v. 660. ἀλλ' ἄνδρας Ἀργείοισι Καδμείους ἅλις.

Num particulae πρὶν in primo exemplo tanta sit vis, ut tres ibi π litterae facili negotio percipiantur, dubitari potest. Simile est iudicium de versibus 166 (cf. p. 53) et 660 (ἀλλ').

Consentaneum est me aut plures aut alias potuisse constituere allitterationum classes: sed eam semper sequi volui rationem, ut aurium iudicio uterer omnibus locis eaque exempla afferrem, quae meis auribus iucunditatem quandam habere videbantur. Quatenus recte hoc fecerim, utrum iusto longius progressus sim necne sim, hac de re penes alios erit iudicium: etenim quibus debeant contineri finibus pusillae

illae artes, ea de re certi aliquid affirmare summae tantum cum iudicii tum sensus subtilitatis est.

Maxime digna, de quibus disputetur, esse ea exempla, quae in binis verbis contineantur, vel inde consequitur, quod eorum numerus aliorum omnium numerum longe superat. Quae multitudo non nimis nobis miranda est, si mente tenemus, cuius momenti cum in omni arte tum in versibus maxime diverbii componendis bipartiendi ratio sit. Saepissime binis verbis ad sententiam conformandam praecipue gravibus quacunque ratione distinctis a ceterorum numero totus verborum contextus facillimus fit ad intellegendum.

In fabula ea, de qua agimus, centum quinquaginta versus exstant, in quibus bina verba ab eadem littera incipientia sunt. Quos cum inter se compararem; in duo mihi genera posse distribui videbantur: unum eorum in quibus caesura illorum verborum unum ab altero separet, id quod in maximo numero fieri intellegebam (87), alterum eorum, in quibus verba illa nullo alio verbo et ne caesura quidem dirimuntur, quos esse 56 numerabam.

Pauca remanent exempla nec huic nec illi classi ascribenda.

Utrumque hoc allitterationum genus nostrae linguae notissimum nobisque familiarissimum esse eamque ob causam nos valde illis locis delectari non est, cur demonstremus.

Tamen praeterire me non potuit, sat magnum esse discrimen inter eam, quam nostrates pristinorum temporum poetae usurpabant allitterationem et eam, quae passim apud poetas Graecos occurrit.

Nam apud nos eae tantum syllabae, quae altiore sono in sermone pronuntiantur, quae quasi accentu notantur, allitterationis lege inter se conectere licet, artissimo igitur vinculo illa allitterationum ratio cum ipsa re metrica coniuncta erat simulque sententiarum concinnitatem quam maxime augebat. Quare optimo iure in ipsa allitteratione positum esse illud genus poeticum existimamus.

Huius vel similis legis vestigia in eis, quae ego ex Aeschyli fabula congesseram exemplis indagaturus hanc instituí quaestiunculam, postquam intellexi, in universum nihil esse commune inter has artes poetae et ipsam rationem metricam.

Ea verborum paria, quae vocibus interpositis dirimuntur, ita contemplatus sum, ut quaererem, quae esset natura syllabarum earum, de quibus ageretur, utrum longae essent an breves vel potius utrum in arsi essent positae an in thesi, deinde utrum accentu notarentur an non. Omisi autem ea, quae stirpium vel totarum vocum aequalitate continebantur, ne nimiam copiam congererem.

Satis habui ea exempla hac ratione ductus in certas discribere classes: nam iam inde apparuit, poetam sibi nequaquam constare neque ullo modo syllabarum naturam respicere.

Etenim nonaginta tria exempla distribuenda erant in hunc modum:

1) Utraque syllaba et ictum et accentum habet: tria exempla:

v. 264. *μᾶλλον : μόρσιμον.* v. 420. *γλῶσσα : γίγνεται.*
v. 418. *τῷδε : τίκτεται.*

2) Utraque syllaba ictum, non accentum habet: quattuor exempla:

v. 37. *ἔπεμψα : πέποιθα.* v. 448. *ἐχθρῶν : ἐκπέρσαι.*
v. 425. *πέποιθα : πυρφόρον.* v. 514. *καλλίπρωρον : ἀνδρόπαις.*

3) Utraque syllaba accentum, non ictum habet: novem exempla:

v. 77. *πόλις : πράσσουσα.* v. 370. *πανσέληνος : σάκει.*
v. 253. *φίλοις : φόβον.* v. 371. *πρέσβιστον : πρέπει.*
v. 351. *φίλαι : φέρει.* v. 417. *τίς : τρέσας.*
v. 357. *πύλαις : πάλον.* v. 797. *πόλιν : πράσσουσαν.*
v. 364. *μόρον : μάχην.*

4) Neutra syllaba aut ictum aut accentum habet: decem exempla:

v. 23. καλῶς : κυρεῖ.
v. 35. ταρβεῖτε : τελεῖ.
v. 36. σκοποὺς : στρατοῦ.
v. 40. σαφῆ : στρατοῦ.
v. 166. πεσούσας : πολισσούχων.
v. 206. καλοῦσα : κακῶς.
v. 527. κελεύθου : καταισχυνεῖ.
v. 594. μακρὰν : μολεῖν.
v. 618. ἀτιμαστῆρα : ἀνδρηλάτην.
v. 798. στρατηγῷ : σφυρηλάτῳ.

In his quae iam attuli quattuor exemplorum generibus semper aliquid utriusque syllabae commune erat, sed ad alia accedimus, in quibus haec aequabilitas frustra requiritur.

5) Altera syllaba et ictum et accentum, altera ictum, non accentum habet: duo exempla:

v. 459. ἄνδρε : ἀσπίδος. v. 517. ὠμὸν : ἐπώνυμον.

6) Altera syllaba et ictum et accentum, altera accentum, non ictum habet: sex exempla:

v. 1. Κάδμου : καίρια. v. 524. φέρει : φῶτα.
v. 448. πύργον : ἐκπέρσαι. v. 552. βάζει : βίαν.
v. 521. σάκει : σώματος. v. 778. πύργος : πύλας.

7) Altera et ictum et accentum, altera neque ictum neque accentum habet: quinque exempla:

v. 192. καμούσης : κίματι. v. 499. ἄνδρας : ἀντιστάτας.
v. 227. βόσκεται : βροτῶν. v. 780. πλεῖστα : πυλώμασιν.
v. 365. τοιαῦτα : τρεῖς.

8) Altera ictum, non accentum, altera accentum, non ictum habet: quindecim exempla:

v. 13. ἔχοντα : ἐμπρεπής. v. 361. μαργῶν : μάχης.
v. 52. σιδηρόφρων : φλέγων. v. 388. Τυδεῖ : τόκον.
v. 199. πύργον : πολέμιον. v. 393. ἀνδρῶν : Ἄρης.
v. 215. σὸν : σιγᾶν. v. 410. πύλαισι : προσβαλεῖν.
v. 261. δουρίπηχθ' : δόμοις. v. 579. δίκαιον : δυσσεβεστάτοις.
v. 267. ἐπτατειχεῖς : τάξω.

v. 594. *πομπὴν : πάλιν.*
v. 652. *φωτὶ : φρένας.*
v. 1014. *ἄπιστον : πόλει.*

9) Altera syllaba ictum, non accentum, altera neque ictum neque accentum habet: duodecim exempla:

v. 55. *ἔλειπον : λαχών.*
v. 177. *ἀρχῆς : ἀκούσεται.*
v. 207. *πειθαρχία : εὐπραξίας.*
v. 352. *πομπίμους : ποδῶν.*
v. 446. *ἐσχημάτισται : σμικρόν.*
v. 451. *φωτὶ : φερέγγυον.*
v. 480. *φωτὸς : φυλακτέον.*
v. 537. *ἐάσει : ἐργμάτων.*
v. 589. *πληγεὶς : παγκοίνῳ.*
v. 591. *ἀγαθὸς : ἀνήρ.*
v. 773. *θαρσεῖτε : τεθρυμμέναι.*
v. 798. *δισσὼ : διέλαχον.*

10) Altera accentum, non ictum, altera neque ictum neque accentum habet: viginta sex exempla:

v. 6. *πολὺς : πτόλιν.*
v. 16. *τέκνοις : τροφῷ.*
v. 33. *πύργων : πυλῶν.*
v. 43. *ταυροσφαγοῦντες : σάκος.*
v. 63. *πόλισμα : πνοάς.*
v. 239. *γυναικῶν : γένος.*
v. 359. *πόρον : περᾶν.*
v. 380. *δάκνουσι : δορός.*
v. 395. *κύβοις : κρινεῖ.*
v. 408. *θεοῦ : θέλοντος.*
v. 410. *σκήψασαν : σχεθεῖν.*
v. 410. *πέδῳ : ἐμποδών.*
v. 428. *ἀνὴρ : ἄγαν.*
v. 431. *Ἀρτέμιδος : ἄλλαις.*
v. 479. *βακχᾷ : βλέπων.*
v. 542. *πυκνοῦ : πτόλιν.*
v. 570. *μαχώμεθα : μόρον.*
v. 591. *σώφρων : εὐσεβής.*
v. 634. *θεομανὲς : μέγα.*
v. 640. *τάχα : τελεῖ.*
v. 643. *Διὸς : Δίκη.*
v. 666. *κακῶν : εὐκλείαν.*
v. 792. *ἀδελφαῖς : ἄγαν.*
v. 801. *πατρὸς : δυσπότμους.*
v. 990. *προβούλοις : πόλεως.*
v. 1014. *ἄπιστον : ἀναρχίαν.*

Luculentissime hac e divisione apparet nullo eas poetae artes vinculo coniunctas esse cum legibus metricis aut cum verborum accentu, quamquam nos facile nobis persuadebimus, maiorem inesse vim exemplis quattuor ordinum primorum, quam reliquis, id quod num iure faciamus valde mihi videtur dubium esse.

Ac ne in versu secundo quidem

ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως,

ubi tres syllabae accentu notatae neque in versu duodevicesimo:

ἅπαντα πανδοκοῦσα παιδείας ὅπλον,
ubi tres syllabae arsi elatae allitterationem efficiunt, consilium et artem poetae agnoscendam esse equidem concesserim.

Singularum litterarum quibus artificia illa efficiantur frequentiam si respicimus, numeri exemplorum similium valde inter se discrepant. Id quod partim iam supra vidimus, cum vocalium bis vel saepius positarum locos collectos proponeremus. Liceat mihi tabula apposita ostendere, quot exempla ad singulas litteras spectantia invenerim.

α	litterae	sunt	26	exempla.
β	-	-	5	-
γ	-	-	2	-
δ	-	-	11	-
ε	-	-	8	-
ζ	-	-	nulla	-
η	-	-	nulla	-
ϑ	-	-	7	-
ι	-	-	nulla	-
κ	-	-	19	-
λ	-	-	2	-
μ	-	-	10	-
ν	-	-	nulla	-
ξ	-	est	unum	exemplum.
ο	-	sunt	nulla	exempla.
π	-	-	65	-
ρ	-	-	nulla	-
σ	-	-	13	-
τ	-	-	20	-
υ	-	-	nulla	-
φ	-	-	19	-
χ	-	-	2	-
ψ	-	-	nulla	-
ω	-	est	unum	exemplum.

Repetitionem litterarum quarundam Graecis valde displicuisse ex compluribus grammaticorum locis discimus, ubi dictum est cavendum esse ne litterae quaedam cumulentur.[1]) Sed illorum grammaticorum iudicio non nimium tribuendum est atque ad quaestionem nostram praecepta illa omnino non pertinere videntur.

Quaeret aliquis quemadmodum explicetur magna illa frequentiae discrepantia? Maxime inde explicandam esse nos ducimus, quod in sermone Graeco maior numerus verborum ab α, δ, κ, μ, π, σ, τ, φ incipientium exstare videtur, quam verborum a β, γ, ε, ζ, η, ϑ, ι, λ, ν, ξ, ο, ρ, υ, χ, ψ, ω incipientium. Utrum accedat sensus quidam et studium a natura insitum, quibus poetae hanc vel illam litteram saepius ponere vetentur, quis neget, quis affirmet?

Cur dedita opera fere nemo adhuc quod linguam Graecam attinet, in tales artes poeticas inquisierit, inde intellegi poterit, quod neque ad artem metricam neque ad artem rhetoricam illa artificia spectare videntur. Neutrius igitur artis tractatio attingebat hunc quasi interpositum inter illas campum.

In utra arte versati nos esse nobis videamur, si quaeris: eodem iure dici poterit in utraque atque in neutra. At vero melius iudicium fecerimus, si dixerimus nil interesse quo nomine appellanda sit ista doctrina si qua est. At philologi esse talia quoque curare vix quisquam negabit.

Non solum in sermone poetico sed etiam in prosa oratione allitterationes et alias id genus figuras usurpatas esse constat. Sermonis utriusque hi sunt quasi communes flores, adminicula concinnae orationis, item ab histrione, ut ab oratore adamati, quia vox in eis requiescit quodam modo. Est ubi transeat prosa oratio ad poeticam atque optime Cicero de or. III, 47, 184:

---

[1]) Conferas Lobeckii paralipomenon grammaticae graecae p. 3 proximas.

,Namque ego illud', inquit, ,assentior Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodam modo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere'.

Eiusmodi qualia tractavimus artificia sunt quasi pons quidam, per quem transitus fit ab altera ad alteram artem.

Ac si quis dubitet, vocene possint exprimi tot et tantillae artes, audiat attente, quanta sit varietas soni vocis humanae. *Apelius* in libro de re metrica I, 233 scribit:

Die Prosa kann so wenig vom Rythmus frei sein, als der Klang der Rede vom Ton. Gleichwol soll die Rede nicht singend sein. Der Sprachton ist, wie *Schelling* sich einmal sehr passend ausdrückt, ein Tonchaos.

Ea comparatione Schellingius perbene significat, qualis sit varietas sonorum etiam in verbis recitatis. Quae quanta esse possit luculentissime nobis apparet, cum audimus recitatores fabularum nostrates, quorum nonnulli diversarum personarum voces tam bene imitantur, ut complures homines loquentes auribus te percipere putes. Neque minore saepe admiratione permovemur, cum videmus, qua pronuntiandi modulandique subtilitate homines de plebe inter se colloquentes utantur.

Fere infinitam dicas vocis humanae sonorum varietatem.

Qui comparaverit meum libellum cum *A. F. Naekii* viri doctissimi commentatione olim conscripta de allitteratione sermonis latini, quam supra laudabam, is intelleget, illius me vestigia saepius vitasse, quam secutum esse.

Atque magnam quidem partem hoc ea re factum est, quod ego in una fabula versabar, ille in toto pristinae poeseos latinae genere, partim explicatur discrepantia ea, quae inter linguam Graecorum et Romanorum intercedit, denique ad sensus et iudicii nostri diversitatem revocandum est. Nam omnibus in rebus haud equidem illi assentiri possum: veluti id allitterationis genus, quod p. 380 et proximis tractatur,

mihi fere non numerandum videtur esse et in ea quoque quae sequitur dissertationis parte nimium nonnumquam meo arbitratu videt vel audit vir ille doctus. De universa autem allitterationis natura quae Naekius dicit, in Graecam quoque linguam optime quadrant.

Maxime vero illud Naekio assentior, quod haec scribit: Non dico nihil me relinquere quod explorandum sit. Ac mirer, si nihil peccaverim.

Vita scriptoris.

Natus sum Carolus Augustus Rudolfus Beer a. d. X. Kal. April. anni h. s. LIII Camburgi patre Christiano et matre Theresia e gente Truebneriana, quos ambos adhuc vivere laetor.

Rudimentis litterarum ab ipso patre imbutus et deinde privata disciplina praeparatus anno aetatis meae XV ad gymnasium Meiningense adductus sum, quod Fischero rectore praeceptore mihi carissimo tum floruit ut hodie floret. In primis piam gratamque semper servabo memoriam Fischeri et Welleri praeceptorum. Postquam anno CIƆIƆCCCLXXII academiam Lipsiensem adii, ibi per decem semestria philologiae studiis deditus scholis interfui Curtii, Drobischii, Ecksteinii, Heinzii, Hildebrandi, Langei, Lipsii Ritschelii, Voigtii, Zarnckei, Zillerii. Seminarii philologorum sodalis ordinarius fui per annum, per sex menses senioris munere functus sum, Ritschelii societatis philologae et Eckstcinii seminarii paedagogici socius etiam nunc sum.

His viris omnibus qui optime de me meriti sunt quantum debeam numquam obliviscar.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.